

Q. B. V.

DISSERTATIONEM HISTORICAM

De

SANCTO

HENRICO

FENNORUM

APOSTOLO,

*Consentiente ampl. Facult. Philos. in Athenaeo Patrio*

PRÆSIDE

ALGOTHO A. SCARIN

Histor. & phil. civ. Prof. Ord.

Pro GRADU

*examinandam sistit*

MATTH. FONTENIUS,

*Aboënsis.*

Die 22. Junii MDCCXXXVII.

loco, horisque solitis.

---

---

ABOÆ, excud. Joh. Kiämpe, Reg. Acad. Typ.

3

S:æ R:æ M:is  
Regniqve Sveo-Gothici  
SUMMÆ FIDEI VIRO  
ac  
SENATORI,  
Nec non  
Academiæ Aboensis  
CANCELLARIO,  
Illustrissimo Excellentissimoqve  
HEROI,  
DN. ERNESTO  
JOHANNI  
CREUTZ,  
Comiti & Domino de ROSEN-  
BERG &c. &c.  
MÆCENATI SUMMO.

ILLUSTRISSIME CELSISSIMEQUE  
COMES,

**E**fficit illa fastigii, summo cum ingenio mixta  
humanitas IUA, celsissime COMES, ut li-  
terata Svethia hac regione PRÆSIDI TIBI CEN-  
SORIQUE exile specimen hocce exhibere, abs obse-  
quio

quo meo pietateque non alienum putaverim. Fa-  
teor infra dignitatem TUAM & supra adolescen-  
tiam meam longe positam esse rem, quam molior.  
Verum cum constet admniculi TE penes plus satis  
constitutum esse imbecillitati; quin, neque metum  
aut verecundiam à consilio TUI conveniendi coleno-  
dique supplicem, nisi improbus & nocens fuerit,  
arcere debere: fluctuationem animi vicit ingenua  
pietatis impetus, imo securum certumque esse jussit,  
fore ut admisione quantulacunque cura & indu-  
stria hujus, patriaris civitatem nostram, alumnam  
TUAM in spem ingredi letam magis magisque, ad  
majora enitendi & TUO sub auspicio quoque de-  
veniendi. Id quod nulla re magis efficere poteris,  
quam si iudicio & affectu, quo cœpisti; & deniq;  
gloriâ, qua pridem Svethia antiquitates DELA-  
GARDIUS heros, TU novus, in hoc orbe, Musarum  
Hercules Fenningia TUE vetustam memori-  
am, phœnicis instar redvivam curaveris, custo-  
dideris, & à liventis avi injuriâ oblivioneque in-  
columem vindicaveris. Ego vero pietatis, quâ  
debet clientulum, lege devotissimâ, pro salute tan-  
si Cancellarii vota fundere nunquam desistam: ve-

lit SUPREMUM NUMEN donis, qua per TE  
nobis maxima contulit, perpetuitatem adjicere, ut  
TUO prasidio publicè & privatim frui: inque illâ,  
quæ nunc patriæ incumbit, densâ & festinatâ hu-  
manitatis strage, sospitem TEMET incolumem  
que perenni cultu prosequi devenerarique liceat!  
sic opto doveoque.

**Illustrissimæ Excellentiz TUÆ.**

Subjectissimus cultor  
Matth. Fontenius.

## SYNOPSIS prioris partis.

### Prooemium.

- §. I. Genuinam HENRICI patriam indicat.
- §. II. Eandem in Tavasthiâ non querendam monet.
- §. III. De natalium splendore illius agit.
- §. IV. Muneris apud exteros g sti rationem habet.
- §. V. De tempore, quo in Svehiam venerit, dfferit.
- §. VI. Quomodo episcopus Upsaliensis evaserit, ostendit.
- §. VII. Consecrationis mentionem facit.
- §. VIII. Seqq. partes sacri muneris, quas in episcopatu domi obiverit, alias atque alias re enset.
- §. XI. & XII. Causas expeditionis in Fenniam aperit.
- §. XIII. Quâ viâ maritimâ in Fenniam perventum fuerit, disquirit.
- §. XIV. Locum, ubi exscensio primum facta fuerit, investigat.
- §. XV, XVI. &c. Varias de loco exscensus Sveonum, conjecturas discutit.
- §. XX, XXI. &c. Classem hujusce urbis in viciniâ portum subuisse primum, evincit.



I. N. 7.

**Q**uamvis ex scriptis cum indigenarum tum quoque exterorum historicorum constet, jam olim perverso Numinis cultu non parum infectos fuisse FENNORUM Aborigenes: utpote magicis artibus, vitiisque, quæ ex iisdem propullulare solent deditissimos; fas est credere tamen multo ante, quam juris atque ditionis Svethicæ evaderet orbis hic, per famam & culta cum vicinis commercia pacis atque belli, Christianæ doctrinæ quamtulamcunqve notitiam habuisse (a). Temporis autem, quo lux evangelii

A

lii

(a) CHRISTIANI nominis evangelique sonum ante Ericum in Finlandia non ignotum fuisse, quinam sint qui statuunt, quisq; scire vult, consulere potest V. Cl. CHRIST. Nettelbl. in suis ad JUSTENI chronicon notis. Certe ex Anonymi Finlandia chronico pariterque Justeno, pro non improbabili habet vir eruditissimus, quod a vicina & socia Moscorum gente, qua circa medium seculi X:mi sacra Christiana amplexa fuisset, religionem eandem FENNORUM recipere potuissent. Quidquid vero sit de Russicis picturis, qua in quibusdam Carelia templis supersunt, quibusque gentis in vicinia utriusque, puta FENNORUM Russorumque ab initio *авъуяв* religionis probare volunt nonnulli; de littoralium partium incolis nulli dubitamus tamen, quin sui conversionem

lii in gente nostra clarius exsplendescere cœpit, quisquis rationem inire voluerit: quod ad illam circumstantiam, in diversa sententiarum divortia antiquitatum patriarum mystagogos deflectere illico videbit. *Aliis* enim arridet sententia, quod medicæ seculi XII, *aliis* quod vergente demum seculo eodem cœlestis veritas in borealis plagæ parte hac manifestari cœperit. Quidquid sit, de eo omnes conveniunt tamen, quod religiosissimi principis Svethici *ERICI Edvarsonii*, alias *Sancti* pietatis zelo atque prudentia factum sit, ut sanctiore doctrinâ morumque integritate conspicui doctores ad prædicandum Christi evangelium huc ex Svecia primum accesserint. Quorum cum primipilus & antesignanus *HENRICUS* Upsaliensium episcopus fuit, suisque pro Christianæ fidei propagatione susceptis laboribus atque periculis meruisse videtur, ne quæ ex vetustate cana supersunt memoriæ illius vestigia oblivio longa perimat. Inde ab officio & pietate in *PATRIAM* ego neque alienum existimavi, quæ in  
gen-

---

*Svethia regum auspiciis omnino debeant. Et sicut territorium Aboense hoc ipsum, ut cum vetere chronico loquar, Ericida missionis ac expeditionis Zelo debet solemnem sui conversionem: ita verosimile quoque videtur, quod qua ab EMLINDO Gammul rege, ejusque filio, centum circiter ante annis, expeditio (de qua vetus in Adamum Scholiastes) in Ostrobotniam seu terram Amazonum inauspirato suscepta fuit, religionis novella propagationem in illis locis itidem pro primario fine habuerit. tanto magis, quanto in Botnia, (hæc Born-Karlarne) doctorem peregrinum quendam HENRICUM, eodem tempore omnino, martyrium passum esse Vastovius perhibet. quem christianitatis in illa gente præconem, eundemque Amundo comitem adjunctum fuisse, admodum probabile videtur.*



3

gente mea Christianitatis primævæ vestigia partim offenderim : præsertim vero quæ de sancto HENRICO in aliis atqve aliis scriptoribus tradita invenerim, eadem in unum colligere & in argumentum publicæ dissertationis compingere. LECTORIS harum antiquitatum studiosi humanitatem multis exorare supervacaneum duco, præsertim cum in illius candore nec non veteris amore PATRIÆ, sterilitati ingenii mei veniam multo ante paratam noverim.

§. I.

PRæmissis isto brevissimo, in vicem felicitatis auspicii, proœmiolo, ne operosam in supervacaneis sedulitatem consecrari velle videamur, instituto literatæ reipublicæ solemnæ, etymologiam vocabulorum, quæ ab ipso dissertationis rubro eminent, brevissimis expedire conveniens esset: verum cum illa partim non adeo difficilia cognitu sint lingvæ latinæ scientibus, ut sine explicatione intelligi nequeant; partim talia, quæ ante nos nomenclatores nulli non excusserint; ipsiqve nosmet, quid sibi velint, in sequentibus commodiore loco explanabimus: statim ad ipsam historiæ evolutionem & traditionem, ambagibus omissis, omnibus, nos conferimus. Ordine igitur, de origine & natalium splendore pii viri episcopi hujus, quem chronicon Finlandiæ, cum ceteris monumentis aliis (β) Ericum etiam nominare, notasse sufficiat,

A 2

ciat,

---

(β) Confer §. X. Itemque BENZEL. notas ad Vastovium p. 32. Ubi nomen ERICI Adamo aliisque cum adspiratione scribi observat: Nobis non improbabile videtur, licentiam nec injuste eandem sibi permisisse alios ad nomen HENRIGI sine adspiratione efferendum.

4  
ciat, primum agendum venit. De iis vero, tacentibus historicis, certi quidquam statuere erit omnino difficilimum. In illa enim tempora incidit ætas PRÆSULIS hujus, quibus barbaries & superstitio ecclesiæ pariter atque reipublicæ præsiderent, & de reipublicæ suæ suprema lege: fisco ecclesiæ puta, per anilia figmenta locupletando magis quam de virilium & vere memorabilium rerum historiâ posteritati commendanda, illi, quorum intererat, impendio laborarent (γ. Patriam quod attinet, quotquot inspicere licuit historiæ scriptores veteres atque recentiores, Britannicum fuisse præfulem nostrum, uno ore consentiunt universi. Ita enim codicis monasterii rubræ vallis de vita & miraculis episcopi hujus, membrana vetus, quam suo ævo ERICUM OLAI ante oculos habuisse & posterorum historicorum, qui de  
mini-

---

(γ) Digna sunt que huc transcribantur verba Clarissimi Schefferi, quibus in tradendis iis, que ab ERICO rege gesta fuere, diligentiam requirit in scriptore vita illius majorem multo, quam revera adhibuit: Neque enim, inquit, dubium esse potest, quin per integrum decennium, quo præfuit imperio, Vir tantus egerit præclara plurima & memoratu plane digna. Sed nimirum fuit id tempus, quo habebatur nil memorabile, nisi quod peculiariter spectaret ad religionem. Condere templa & cænobia, instituire collegia sacerdotum atque monachorum, locupletare redditus ecclesiarum, bona sua dividere inter homines missa ac altari servientes, justis interim hæredibus neglectis, censebatur unicum, quod posteritati per literarum monumenta esset commendandum &c. Causam deficientis historia, quam in ERICO prodit Vir judiciousissimus, eandem in HENRICO recurrere quis non videt?

ministerio & legatione *HENRICI* quamcunque honorificam mentionem fecere, neminem non secutum fuisse Doct. *BENZELIUS* observavit in suis, ad monumenta ecclesiæ vetera, accuratissimis sive prolegominis sive notis. Commercium vero cum Svecis civiliter culta Anglis, pariterque gentis utriusque consanguinitatem, nec non linguæ atque amicitiae (d) communionem multis in hac terram & vicinam Daniam (e) advehendis episcopis & doctoribus occasionem dedisse initio christianitatis, non uno exemplo pluribus in locis *ORNHIELMIUS*, *BENZELIUS* & ceteri gentis utriusque scriptores plurimi observant.

§. II.

**I**nterim qualem ad inveniendam præsulis nostri incunabula viam nobis monstraverit runa quædam vetus vernaculæ nostræ, illud in præsentia indigitasse, neque a proposito alienum erit.

Casivoi ennen taxi lasta  
 Doinen casivoi calimasta  
 Doinen Ruokisa yleni  
 Doinen hämehen *HENRICHI*  
 Doinen Erich Cuningas.

Crescebant olim duo infantes.  
 Alter in hortulo olerum :  
 Alter in Svecia adolevit.  
 Alter *HENRICUS* Tavastensis  
 Alter rex *ERICUS*.

Cre-

---

(d) *Edvardi confessoris Anglia regis eaditum de exteris, quibus jus civitatis Anglicana concederetur; fidem amicitia Gothis Anglisque cultam olim sancteque servatam inprimis testatur. Gothi, inquit, cum advenerint, suscipi debent & protegi in regno, sicut conjurati fratres: sicut propinqui & proprii cives hujus regni. Conf. Nettelblad. Bibl. Svec. P. V. p. 5. in notis.*

(e) *Nettelblads & Schwed. bibliorb. III. p. 184. Peringskiöldius in monumentis suis Uplandicis passim.*

Credo si præviderè potuisset auctor, quisquis ille fuerit, anilitatem fictionis suæ aliquando prodituram in lucem, sequentium industria temporum, cautius illum in rem præsentem adhibiturum cacoæthem ævi omnia fingendi, mentiendique. Commendavit *MESSENIUS*, Scordix suæ quodam loco, vetulis, nonnullorum ventilationem, quæ de *Ingride* *Ulfwa* *BIRGERI JARLI* matre, suo ævo circumferrentur. Nobismet suspectam videri fidem autoris runæ illius nemo inuidebit, quamdiu de memorato modo *Ingride* illius filio constat, quod post *HENRICI* ætatem, LXXX. annis minimum, comite *Petro* *Arosiensium* episcopo, *Tavastios* religionis pariter atque imperii Sveonum obnoxios esse iusserit. Quod vero *Tavastia* barbaricæ gentilitatis adhuc tenebris involuta doctorem & episcopum Christianum usque adeo conspicuum Svecithis submittere potuerit, non facile quisquam, nisi ex genuinis tabulis sibi persvaderi patietur.

### §. III.

QVO celebri loco Angliæ sacri hujus antistitis natiuitas acciderit; in aulane, urbe affluent, an vero provinciali solitudine aliqua, ceu rem altæ datam oblivioni transilimus. De imaginibus, quæ recens nati cunas illustrarunt, idem dicendum venit. Quod si nostri ævi locique præxin in conjectando sequi vellemus, obscuris mapalibus potius, quam illustri loco natum diceremus facile. Verum cum fuerit illud non legibus solum, sed & ævi illius usu publico cautum quam maxime, ne quæ stirpis humilitas ad splendidissima reipublicæ ecclesiasticæ munia adspiraret: de nostris majoribus nullo dubitamus modo, quin in homine Anglo præficiendo ordi-

dinis ecclesiastici penes se summæ, Anglicanæ ecclesiæ observantiam, quæ penes eandem adhuc in viridi usu est, æmulari voluerint; talemque ecclesiæ Upsaliensi suæ præsidem præposuerint, qui eminentiam muneris, virtutis suæ pariterque sanguinis fulgore illustrare potis esset. *SIGFRIDUM*, *ESCHILLUM*, *DAVIDEM* & ceteros doctores Anglia oriundos non nobili sanguine solum, sed & regio partim prognatos esse *VASTOVIVS* in vite aquilonia testis est. De *HENRICI* natalibus ejusque favore imaginum ad obeundum idem sanctæ legationis suæ munus, neque est quod ullo dubitemus modo. Certe si comitatum & apostolicam legationem attenderimus *NICOLAI* de *ALBANIA* Cardinalis, (ζ) qui sub nomine *ADRIANI* pontificis non multo post inclaruit, & trajecto Britannico mari, in Svethiam transvexit episcopum nostrum: intelliget non difficulter quisque, ad finem obtinendum missionis suæ, Svethiæ regi, quem infatuaturus accesserat (ut verbis Oernhielmii utar) popularem obtulisse hierarcham, non ex tenebris exitum, sed in aula tropicis natum & educatum, qui curiæ Romanæ majestatem ejusque imperandi magis quam docendi characterem ambitiose referre sciret (η). Cur vero durante pontificiorum sacro regno, nobilitatem (θ) in eligendis episco-

---

(ζ) Eunaem Anglum fuisse & Bressparre cognominatum ex historiis Danicis nonnullis Ornhielmii observat. *Histor. eccl. p. 438.*

(η) Predicationis & institutionis evangelii altum hoc tempore silentium in ecclesia obtinuisse; omnia vero ad papæ æconomiam clericorumque privatos canones apud exteros attemperata fuisse, quis nescit? (θ) Non apud Judæos solum τρυφήν γέ-

8  
episcopis respicerent quam maxime, ratio erat; non solum ut tanto major auctoritas ac dignitas ordini sacro accresceret. quam ob rem non nisi rarissime hominibus obscurorum natalium ad episcopales cathedras aditum patuisse legimus: Verum habuerunt insuper etiam divitiarum respectum, ut bona ecclesiastica auferrentur, & episcopi morituri suis successoribus prædia adjicerent; unde status illorum, non aliorum magis quam propriis ex visceribus cresceret ac auferretur. Hujusmodi artibus papa sensim hierarchiam suam, cum regiae potestatis publicique status maximo damno, stabilire ac evahere nitebatur. Denique quod generosæ originis episcopi nostri magis evidens indicium esse potest, quam quod laicis, puta plebejis eorumque liberis divinarum humanarumque literarum notitia illo tempore negata, eorumque nemini nisi ex peculiari gratia bonis literis vacare permissum fuerit? De hoc autem præfule constat (1) quod non leviter literis imbutus, verum juxta captum illius seculi summæ eruditionis loco habitus

---

*ως λαμπρότητος fuisse sacerdotium: sed & apud ceteras gentes tantum non omnes viris præcipuis sacra munera demanata fuisse; non solam vitam & doctrinam suffragia meruisse, ex Pottero Hassen in Synopsi sue prudentia Moralis & Civili observat. quo cum conferri potest Verel. in notis ad Gotbr. & Rolf. hist. p. 61. ubi curatores sacrorum & ceremoniarum in Scandiâ non viles e plebe aliquos, sed principes populi fuisse, testimoniis cum exteror. tum quoq. indigenar. scriptorum evincit. Episcopi vero in nostra gente regio sanguine oriundi a Nettelbladio recensentur nonnulli Biblioth. Svec. III. part. in addendis. (1) Job. Magnus bist. L. XIX. cap. 3.*

9

tus fuerit. Quid de vitæ sanctitate & morum honestate dicam, quam *Vastovius* aliique lectæ veteri addicti de eodem prædicant? annon liberaliter institutum, educatum & summo, certe non plebejo loco natum fuisse omnia indigent? Et demum, quis nescit accuratam usque adeo temporibus hisce, quibus potentia & divitiis imperio major erat ecclesia, in conditionem futuri episcopi fuisse habitam inquisitionem, ut nisi gentis nobilitate, viribus & denique potentiâ ea instructus esset, quæ superioritatem territorialem, fidem & religionem sedis apostolicæ lautè tueri posset, in familiam ordinis episcoporum ægre quisquam admissus fuerit. Loquuntur de qualitate illius parum genuinæ accuratiore scrutiny privilegioque non nostri modo regni statuta ecclesiæ vetera, præcipue Arbogensia (λ), quæ in *beneficiorum* collatione quorumvis, multo magis episcopatum, nobilitatis præcipue rationem habendam decernunt. loquitur non ipsa ævi sequentis praxis solum, quæ paucioribus obscuro loco natis ad regimen ecclesiæ aditum patuisse docet (μ), sed confirmat fidem dictorum ex superfluo *THOMAS* Aboensis episcopus, idemque popularis *HENRICI*, quem ob servilis aut si mavis illegitimæ nativitate præsumtionem, nisi impetrata a pontifice licentia, Lundensem Archiepiscopum consecrare non ausum fuisse Doctor *BENZELIUS* in notis ad *Vastovium* diligentissimis observat. Interim ex allatis in medium rationibus, iisdemque junctim consideratis planum fore spera-

B

ra-

---

(λ) *Conj. statuta in concilio Arbogensi, a Jacob Ulphonide conata.* (μ) *Legi meretur quod ad rem præsentem Dickmannus in antiquitas. eccles. suis, præcipue vero pag. 266.*

ranus, ingenuæ nobilitatis titulos ad capeffendum peregrè supremum beneficium ecclesiasticum in patriâ HENRICO non defuisse: licet cujus ordinis fuerint progenitores illius, seculari loco ne effulserint, an vero ecclesiastico aliquo (v) cum conjugia clericorum non nostratibus, neque Anglis hactenus criminosa fuerint, memoriæ posteritatis oblivio longa subduxerit.

§. IV.

POST assertam non infelicitè quod spero, canonicam nativitatem episcopi, quo ætatis suæ anno, quo publico in patria munere pridem procurato, transitum sibi paraverit ad sacrorum in gente peregrina primatum, porro dispiciendum. Neque enim existimandum, quod Juvenis indisciplinatus, seqviorum more temporum, (\*) ad ecclesiasticum fastigium properaverit, nedum quod

per

---

(\*) Dico minus notum esse, utrum parentibus ecclesiastico loco conspicuis natus esset Henricus nec ne? Probabile magis illud videtur tamen, quod civili (sed eminenti loco natus fuerit. Imprimis postquam ex Angliæ sacra scriptoribus illud non obscure constet, quod ante hæc tempora præsules ecclesiæ illius fuerint cælibatus, etiam conjugii nondum penitus sublatis, studiosissimi. Adeo ut de Edvardo Scarenfi in Angliâ uxorato non sine causa quis suspicari possit, quod propter concubinam, quam in viris canonibus, domi haberet, patria excedere iussus fuerit, & in nostris terris quærere locum receptui: ubi etiamnum in videri usu essent conjugia clericorum, adeoque minori cum scandalo munus ecclesiasticum ipse obire posset.

(\*) Hodiernum Toletanum Archi-Episcopum Ludovicum Antonium eundemque Hispania infantem, decimum ætatis annum non dum egressum esse, quis nescit?



per saltum, majorum imagines saltem eodem loci eundem sustulerint. In jure canonico, idque veteris & primitivæ ecclesiæ exemplo, XXX. annorum ætas ordinarie determinata erat: quam ad minimum implevisse omnibus necesse erat, qui ad episcopatum emergere vellent. Imo, nisi per inferiores ecclesiæ ordines, presbyterii puta, diaconatus aut saltem subdiaconatus, transivissent Candidatis; & in iisdem fidem suam, vitæ atque disciplinæ rigorem probatum ivissent, qui summum sacerdotium caperent, parum dignos habitos fuisse, canones & exempla testantur innumera. Nostrum episcopum ætate & probata per omnes gradus religionis dexteritate sanctitateque, ad sacerdotii sublime suum ascendisse, licet de inferioribus officiis, quibus ascenderit perinde non constet, tanto minus dubitamus, quanto legato pontificis ab ipso, jurium canonicorum exactore rigidissimo, dissidentibus inter se invicem indigenis, in prensando primariæ sedis culmine prælatus sit; & dubio præcul archiepiscopale pallium, aut si mavis dicere, pontificis legati symbolum quoque cum cruce sustulisset, quod secum apportaverat Cardinalis, si non ipsa prudentia regni (a) & de archiepiscopalis honore sedis prætexta controversia currenti, ad supremos honores præsulis nostro suffragamen improvise injecisset.

## §. V.

PERLUSTRATIS jam de origine & rebus apud externos gestis illius, præcipuis momentis, certum annum, quo stipatus splendido comitatu suo, patriam reliquerit & in Norvegiam demum Svethiamque transiverit, in gratiam bene-

---

(a) Jac. Vilde *hisor. pragm.* II. 20, 21.

benevoli Lectoris exprimere deberem, sed cum historiographi ipsi illam circumstantiam praterierint, eandem ego quoque intractam relinquere cogor. Ad *Norvegia* pariterque *Svethiæ* reges destinatum fuisse legationem ante diximus. Quamdiu vero *Norvegia*, una cum pontificis legatione, *Henricum* penes se retardaverit, certo non reperire potui perscriptum alicubi. Breviorem vero fuisse in illo regno commorationem legationis, videri potest vel exinde non difficulterque probari, quod de cathedra archiepiscopali *Nidrosiæ* constituenda, nullam cardinali controversiam moverint, sed penes se figi consenserint illico cives regni illius. Quo vero in *Svethiam* transiverit intervallo temporis, seculi puta, currentis duodecimi penitus introspectendum. quamvis neque de eo per omnia scriptores conveniant. Alii enim transitum in *Svethiam* anno MCXLVIII. ex *Norvegia* factum afferunt (a) Alii vero cum *MESSENIO* in *Scondicis* anno MCLII (β) Cum *SRNHIELMIO* vero (γ) alii seculi anno quinquagesimo primo in *Sveciam* accessisse urgent. A priori sententia certe non alienus apparet *IUSTENUS* statim initio chronici suorum in cathedra *Aboensi* antecessorum, cum expeditionem & martyrium in *Fenningia Henrici* anno Domini MCL. accidisse & biennio ante cathedram *Upsalensem* obtinuisse eundem affirmat. id quod igitur anno MCXLVIII. convenire videtur. Cum *MESSENIO* vero in curis posterioribus *THORMODUS TORFÆUS* itemque cele-

---

(a) Inter illos referri meretur in chronico episcoporum. *Messen.* & ex eodem *Spegel* in sua historia eccles. *Sveogoth.* (β) *Tom. XV. p. 26.* (γ) *Hist. eccl. IV. p. 3. 120.*

celeberrimus *NETTELBLAD* ex nostratibus (δ) consentiunt & anno ejusdem seculi quinquagesimo secundo *NICOLAIM* Cardinalem cum asecclis in Sveoniam advenisse putant. Ab his autem *STURLESONIUS* deflectit (ε), qui cum *ÖRNHIELMIO* anno quinquages. nominati sec. primo, hunc pontificis nuncium in Norvegiã appulisse & archiepiscopũ *Nidrosie*, ob servatas ibi *S. Olai* reliquias, constituisse statuit. Quid sit, certe rebus in Norvegia ex voto gestis, eodem anno in Sveciam, ejusdem negotii procurandi gratia, venisse & concilium aut comitia Lincopiã celebrasse ex annalibus indubitato constat (ζ), præcipue vero ex *ANASTASII*, papæ prope solstitialis (*winterpabst*) bulla (η), quam ad *SPERCHERUM* regem, exeunte anno seculi quinquages. tertio, perscriptam *ÖRNHIELM.* historiã suã eccles. integram inseruit. Illa cum de Cardinalis *ALBANI* reditu loquatur, sibiq; gratuletur Papa de dilatatis arctoo-orbe, ministerio ejus, ecclesiã pomeriis, facile quisque colligere potest adventum in Sverthiam Cardinalis ejus-

---

(δ) *Schwed. Bibl. III. pag. 22.* (ε) *Hist. Norv. p. 453.*  
 (ζ) *Illud concitium cum post Stephani archiepiscopi consecrationem anno 1258 primũ celebratum fuisse statuat chronicon vetus a Doct. Benzelio monum. pag. 14. insertum, qualem a sequioris ævi cucullata superstitione fidem sinceritatemque nobis polliceri queamus de iis regni memorabilibus, quæ ætatem eorum multo antecessere, non e longinquo quisquis conspiciere potest?* (η) *Örnhielm hist. eccl. pag. 452. Cum illa vero pontificis bulla ad regem & laicos regni perscripta, conferri mereatur, quam aa episcopus datam eodem die & anno Scandia sua inseruit Messenius analect. II, pag. 93. Item censur. Tom. XIII. nota 548.*

ejusque diuturniorem inibi, quamvis parum ex voto, factam commorationem nonnullo tempore, si non integro biennio, antea accidisse.

## §. VI.

**I**Nvento tempore adventus, quibus ad ecclesie Upsalensis supremam inspectionem vis pertendit **HENRICUS**, porro inquirendum. Primis seculis christianismi ex æquitate naturali itemque apostolica ordinatione illum ecclesie & divinæ legationi præpositum fuisse episcopum legimus, quem a sacris supremum populus ipse sibi provideret. Adeo ut mirari liceat, quid **BELLARMINO** cardinali in mentem venerit, cum in episcopo eligendo populi consensum non admittit, & quam in primis christianis cœtibus obtinuisse concedit, electionem popularem, eandem ex conniventia papæ Romani, ad tempus saltem toleratam fuisse asserit. Si de sequiorum temporum, illorum puta, quibus *Henricus* floruit & ferulam meruit, electione sermo fuerit, quin apostolicæ & primitivæ constitutionis illius usum & valorem in ecclesia abrogaverint dudum canones & edicta pontificia contraria, nulli dubitamus: quemadmodum de illis omnibus populi electionibus, quæ post consolidatum *Roma* papæ solum accidisse leguntur, certissimi sumus, quod illarum gratiam fecerint ad tempus pontifices initiandis novellæ religioni populis, ut censui & servituti curiæ romanæ colla sua promptiores deinde subderent atque subjicerent. Apud nostrates in præficiendo novellæ ecclesie Upsalensi episcopo non canonicam sive Justinianæam illam, sed catholicam & apostolicam, qualem modo delineavimus, electionem usu venisse penitus pervasum habemus.

mus. Jubet autem de eo securos esse nosmēt illa diffensio, qva de archiepiscopali eligenda sede Sveogothi nullo modo convenire potuerunt: qvam ulla neqve pontificis majestas, neqve longa in comittis civium *legati* illius præsentia & autoritas componere potis erat. Quod si vero *sedis sacrorum* eligendæ eam sibi sumserint & vindicaverint autoritatem ordines regni, idem jus in episcopo præficiendo sibi reservasse tanto magis patet, quanto *directorium* cœtus, cui illud decernatur, majoris indagationis res sit, & cum illo suam quoqve salutem implexam habeat ipsa respublica ecclesiastica. Fuerat ad præsens usqve Svecia Hamburgensium antistitum ecclesiastico dominio obnoxia. Sed cum naturali libertati civium onerosum magis magisque esse inciperet jugum illorum, (β) non eidem solum restitere reges civesqve Svethiæ, aliis atqve aliis temporibus animose, verum hoc seculo incunte sensim etiam expunxerunt: non obstante LEONIS vetere bulla illa, quæ Judæ proditoris excommuni-

Ca-

---

(β) De Gothis Johan. Magnus testatur, quod in illa de honore sedis Archiepiscopalis contentione utriusque, puta Gothiæ atqve Svethiæ gentis, Bremensem quam Upsaliensem aliquem Gothi potius sequi voluerint. Verum habita ratione animositatis Emundi regis, quam ab externi metropolitani jugo eodem, civium pietatem & libertatem ipse impune servaverit, Archiepiscopum Scaris indigenam constituens; fidem historici ea quidem parte laborare suspicari licebit. nisi dixerit aliquis esse solere illud in nostra gente non novum, ut qui modo pro aris & foris pertinacissime pugnarunt, quantillum mutata scena, iidem hostibus & peregrinis adherere, quam cognati sanguinis & communionis rationem habere malint.

cationem iis omnibus decernit, qui Hamburgensis ecclesie privilegium in parte vel in toto infringere attemptarent. Quin ne novum hoc tempore servitii genus, idemq; numero diversum saltem, civitas subiret; in novo nunc episcopo eligendo, veterem & immutabilem regulam *ORDINES* adhibuerunt, suffragium & consensum cleri suumque omnino æqualem esse voluerunt (γ). Confirmat processum hunc episcopi eligendi servatum olim majoribus nostris, Vestrogothicae leges: quibus fieri voluit legislator, ut a populo rex ipse quæreret, quem eligere vellent (δ). Designatione populi nominato pedum episcopale rex idem in manus porrigeret una cum aureo annulo: postea in ædem sacram ducturus esset, eundemque in cathedra episcopi collocaret: dum plene electus esset episcopus, excepta inauguratione. Regiam & civilem episcopi electionem illam invidente oculo adspexisse jam olim curiam romanam, pontificum quærule

- 
- (γ) *Conferfus Boehmer. J. eccl. III. 59. Hassen. p. 811. §. 33. Omnino vero Vilde Histor. pragm. p. 334. Sc. & Honorii papa literas ad Ericum Lâsse regem, & videbis inibi obtrusos episcopos per annulum & baculum regum, pro sacrilegio, U.S.E. non dissimili accusari. Adde etiam Verel. H. S. pag. 61.*
- (δ) *Legibus civitatis suum rite præstitum fuisse obsequium Adamus Bremensis testis est, cum episcoporum Sverbia unumquemque a rege vel a populo assumptum, sine invidia circumivisse & cives ad christianitatem traxisse perhibet. Illum quem morem ab ultima gentilitate derivare velle videtur Verelius in not. ad Goth. & R. hist. cum sacrorum curam non minus quam civilem administrationem ad se pertinere voluisse Sverbia Reges: de ritibus & antistitibus suo jure constituisse, confirmat.*

gulae literae in patriam aliis atque aliis temporibus missae testantur. Cumque dicatur in praesenti electione *MESSENIO* Cardinalis *ALBANUS* non ausus obtrudere Svehthis, quem ipse vellet, episcopum, sed *Henricum* commendasse saltem: non e longinquo erit videre auctoritatem illius in praesenti negotio non *judicialem*, sed *testimoniale*, eandemque abs concilii provincialis Lincopensis (ibi enim comitia hoc casu celebrata jam ante diximus) decreto penitus & omnino suspensam fuisse (1). Licet dubitaverit non facile quisquam contrectandae ecclesiasticae rei atque negotii secularem audaciam istam, ipsi etiam *Cardinali* legato invisam fuisse, & perinde cum quoque ad livorem & obrectationem juris illius extimulasse.

### §. VII.

Peracta a populo electione novi antistitis, itemque inthronizatione illius, *SVERCHERI* regis mediante officio, idque per baculum & anulum, quae investitura olim dicebatur, consecrationis seu ordinationis sacra ceremonia confestim, certe intra praestitutum tempus trium mensium, subsecuta fuit. Sed cum exauctorato *Bremensi* illo, nullus adhuc constitutus esset, qui sub illo characterе ecclesiae patriae praesideret, legatus ipse pontificius ad solemne religionis illud populo, sua voce manumque praevit (2). Cumque nullus dubitem, quin popu-

---

(1) Quo tempore, regis & promiscui aetate jure antiquato, canonica electio primum in patria invaluit, *Vilde nos docet hist. pragm. III. II. 22, 17.*

(2) De panoplia episcop. Pontif. mystica ἐν τοῦτοῦ ἐκ νεφάρων λέγειτο *Erasmus in adagiis, Pompe & panopliae, qua ea*

plarem suum eundemque consanguineum forte, certe extraneum archiepiscopalis honore mitræ, si res sui peculiis fuisset, condecoratum voluerit Cardinalis, ut regi regiæq; librandæ potestati serio & animose magis se opponere posset; dicerem facile pallii conferendi privilegium, exemplo aliorum avi illius episcoporum (η) ex peculiari gratia curiæ Romanæ consecutum fuisse, nisi novo archiepiscopo Svethiæ designatum illud *Lundenf* commissum fuisse, cum perpetuo in Sveciæ clerum primatu, publice notum esset (θ).

## §. III.

*piscopis Svecia, in illorum consecratione olim usu venit, mentionem facit Bazius hist. eccles. sua p. 370. seqq. Investiebantur pallio choralis (Chorkåpa) sceptro gemino, mitra bicorni, itemque baculo, quæ cum ceteris, potestatis spiritualis & temporalis insignia fuere. De baculo diximus modo, quod ad investituram a principe peractam pertinuerit. Duravitque ritus ille penes principem, quamdiu feuda hominum b. e. civitatis essent episcopatus. Ast postquam feuda DEI evaserant, Hildebrandi & ceterorum hieromonarcharum Romanorum invalescente dominio, istud jus majestatis civilis familiam mutavit, & ad alienigenam dominum transiit.*

(η) Conf. Olavi Celsii. *chron. incerti auct. pag. 21.*

(θ) Speſtabat consilium illud non ad pacem & concordiam inter regna Svethia atque Gothia conciliandam, sed discordiam & emulationem Danos inter atq; Svecos, præcipue vero regni utriusque sacerdotium exsuscitandum. Erat non ignotus Cardinali *Lundenfis* Eschilli fastus & pro suo pontificisque dilatando imperio impotens, imo si res postularet, armata ambitio. Turbulento homini isti potestatem in Svecia episcopos supremam tribuit, ut odio & fastidio externa servitutis, citius redintegrare-



## §. VIII.

**P**erfectis canonice ceremoniis istis omnibus, quibus plenaria episcopi potestas, olim magis quam hodie, constituta fuit, quæ huic muneri adjunctæ essent partes, novus præsul strenue & diligenter exequutus est. Adhærebant huic muneri multæ functiones, quæ ipsi ex jure ordinis propriæ erant, utpote clericorum ordinatio, abbatum, abbatissarum & sacrarum virginum benedictio, translatio & dedicatio nova fundorum (a), nec non

C 2

tem

*sur concordia civium & ad accipiendam domi monarchiam mysticam illam animi promptiores evaderent. Pluribus de jure Suebici primatus sive principatus isto disserit D. O. Celsius in notis ad chronicon incert. scripte. pag. 17. seqq. item pag. 22.*

(a) Fundos & agros & cetera gentium aïis eorumque sacrificulis pridem dicata, in ceteris sola juribus & accidentiis, ecclesie patrimonio, sempiterna firmitate transcripsisse pontifices & imperatores, Binghamus: imo gentis & ecclesie Fennica nostra sub exemplo Spegelius testis est. Urbanum seculi III. papam illud decretum jam olim tulisse Polydorus Virgilius docet: sed ita ut ecclesie commune bonum, idque perhospitale & apertissimum esset. Quomodo vero, postquam religioni pestifera voces: Meum & Tuum, inscriptæ essent, sacerdotiumque nil nisi bareaitatem & dominium esse putarent, sensim pontificis edicto illi extrema verba: Commune bonum obliterare cæperint, eundem Polydorum de inventoribus rerum libr. VI. 14. consultare non displicebit. Mirum, quomodo cum mores & BONOS & malos gentium ad Sathanæ scholam proscribant, ambisum & opulentiam eorum non execrari: sed eandem sine lesione scientia & conscientia in suos mores transcribere possint & sileant.

templorum vasorumque sanctiorum consecratio; immo regum reginarumque coronatio & aliæ plures, quas nunc brevitatis causa omitto (B). Ad pietatem utilem & ceremonialem illa vel præcipue faciebant opum infundibula, quibus licet nullus suspicioni locus sit, quin strenue operatus sit *Henricus*, quemadmodum modo ostensuri sumus, non propterea tamen in vicarios transcripsisse principem & pastorem muneris sui partem, puta docendi publice & privatim, præsumere licebit. Præsertim cum non de sequioris avi archiepiscopis *Svehiæ* solum constet, quod apostolicorum more episcoporum ipsi identidem prædicaverint verbum Dei gregi suo, sed & *Anglis* prædicatoribus tantum non omnibus *PERINGSCHIOLDIO* teste, illud vel præcipue gloriæ cedat, quod non spiritu contentionis aliquo, non turba aut vi, sed melliflua suavitate quadam sacri eloqvii, modè blidlet och wältatighet animas *CHRISTO* lucrari annixi fuerint. In laudem *Henrici* vero illud vel præcipuo loco memorandum, quod præterquam episcopum, pastorem etiam eccle-

---

(B) Satisfactiones pœnales & indulgentiales intelligo, nec non omnem sacrorum pompam, quam cum ipsis pietatis exercitiis, sub specie *Asiægyptias* necessaria care redimendam *Laicis* obrussisse *Clerum*, etiam nostra ecclesia, primitiva periculo, oby-  
 xegv. testis est historicus. Adamum puta, qui baptismum, confirmationem & dedicationes altarium & sacrorum benedictionem, visitationem infirmorum, ac sepulturam mortuorum care omnia redimenda fuisse ait. Quin ad suam providentiam horum omnium ordinationem & executionem pertinere voluerit noster quoque episcopus, *Lalliana* excommunicatio, de qua postmodum, nosmet dubitare non finit.

ecclesiæ veteris Upsaliæ suæ egerit (d) & e suggesti tho-  
lo isto religionis & dogmatum eo pertinentium fido sa-  
tu pascere gregem, eoqve civitatem non soli sed poli  
locupletare annixus fuerit. Devotione & sinceritate, pro  
captu temporum illorum operi instituisse suo, nulli du-  
bitamus. Cujusmodi vero seminis, cœlestis ne an diversi  
generis pabulum fuerit, quo tenellæ mentes imbueren-  
tur, qui nostræ ecclesiæ sacra canonica cum supersticioso  
illorum temporum canone contulerit, non e longinquo  
perspiciet. Neque enim *Henricus* ad se facile suiqve æ-  
vi religionem trahere potest, quod de *PAPIRII* consulis  
nepote *LIVIVS* (e) memoriæ prodit: quod juvenis ante  
doctrinam spernentem majestatem Numinis, natus fue-  
rit (f).

§. VIII.

**C**eteras functiones episcopales, quarum fecimus men-  
tionem modo, quod attinet, de episcopo nostro con-  
stat, quod non ecclesiam S. *Bothvridi* solum Strengne-  
siensis diœceseos, una cum *Gerdero* cathedræ illius e-  
piscopo inauguraverit; idque anno MCXXIX. (a), sed  
&

(d) *Peringchiöld Upland. monum. I. pag. 172. & 194.*

(e) *Histor. L. X. 40.*

(f) *Consentit in eandem nobiscum mentem episcopus Borgoenfis, Doctor JUSLENIUS in Aboæ vetere sua, cum Henrici sancti episcopi opera ad cognitionem CHRISTI Salvatoris pervenisse ait Aboenses nostros, & ceteras nationes Fennicas. Verum cognitionem illam juxta fatetur etiam obfuscata fuisse Papalium missarum nebulis, que cum sanctorum invocationis nube, ipsum mitissimum splendidissimumque Justitia SOLEM ex animis hominum abstulissent penitus.*

(a) *Functionis eccles. ab Henrico, hoc anno inter Specos*

& templum cathedrale veteris Upsalix, ante annos XII. admodum, a *SVERCHERO* rege fundatum, currente anno MCL. die assumptionis *MARIE*, quæ in calendario Romano dies est XV. Augusti, S. *Laurentii* martyris nomini consecraverit (β). Addit vir nobilissimus *PERINGSKIOLDIUS*, cui hoc debemus, quod sub regno *ERICI* regis, templi structura illa impleta ejusdemque dedicatio peracta fuerit: sed cum non illo anno solum, verum & duobus sequentibus adhuc *SVERCHERUM* tenuisse auspicia regni ex illa *ANASTASII* pridem citata bulla liquidum sit, quo colore meritove successori gloria instaurationis illius in acceptis referri queat, adhuc nullus videre possum. *SVERCHERO*, aut si ex veteris genio lingvæ loqui malis, *SVERCHILLO* rege, suorum venali fide ecclesiasticorum (γ) pariterque Danorum scelere inter-

---

*præstita pax & certitudo sit penes Oeruhelmium. Nos pro elemento L. in illo calculo Romano irrepsisse posterius, aut si mavis intermedium X. tanto certiores sumus: quanto annis circiter XX. post illud tempus, in Suetbiam primum ingressum fuisse Henricum in §. V. evictum vidimus.*

(β) Confer *BENZELII* not. in *Vastovium*, pag. 51. & citatam ibi *MESSENI* in *analectis* censuram. quo cum iterum confer *LOCCENIUM H. S. III. p. m. 76.* Ubi anno primum millesimo quadringentesimo XL. penitus ad finem perductam & exedificatam viae basilica Upsalientis, quæ hodie est, operosam molem. Cujus, si quid dandum coarctato resti *CAROLO*, puta *Arosensi* episcopo, sub *BALDEMARO* rege fundamenta jacta sunt & ad relictum opus eductum. Vide excerpta historica illius apud *VERELIUM*.

(γ) *VILDE* *hisp. pragm. Suetb. III. 2, 20, 11. & 12.*

emto, cum in *ERICUM, SVENONIS* Victimarii principis nepotem, eundemque generum ex *Christina, INGONIS* junioris regis filia, vota civium conspirarent demum, quod cum diademate novum regem consecraverit *Henricus*, credibile omnino. non solum, quod ad illius diœcesin pertineret Upsalia, locus ipse consecrationis: *Henrici*, sibi nuper a Papa commendati, fidei, quam ceterorum, ipse rex plus semper tribuerit; sed imprimis quod in illius electionem regis quoque, Gothis, se ab initio Uplandi, suo cum episcopo proniores præstitissent. Confirmat in illa sententia nosmet schema illud *ERICIDÆ* coronationis ( ne quid de vetustiore scenæ ejusdem, licet rudioris artificii, repræsentatione dicam, quæ a veteris Upsaliæ altero pariete etiamnum visitur ) quod ante templi metropolitani fatalem conflagrationem anni MDCCII, urbe in ipsa antiquum sepulchri splendorem in choro maximo insuper decorabat. Et nisi *PERING-SKIOLDIUS* senior sua providentia ante incinerationem descripsisset, suisque Uplandiæ monumentis inseruisset, posteritatis memoriam omnem effugisset. In illo cum exhibeatur imago mitrati diadema regi imponentis cum inscriptione adjecta tali: *Prima materia coronationis ERICIDÆ per Sanctum HENRICUM episcopum*, colligere pronū erit, quod rationibus nostris suum quoque assensum ipsa vetustas adscripserit. Quo anno vero contigerit celebritas regni ista, rerum Suethicarum scriptores per omnia non consentiunt. *ISRAEL* Erlandi regnandi initium *ERICO* tribuit annum MCL. a quo longius deflectit *OERN-HIELMIUS* ( *ð* ) annum primum imperii *ERICI* MCLVI esse

---

( *ð* Super anno coronationis *ERICIDÆ* ab Oeruelmio non

esse contendens, postquam parricidalem *SVERCHERI* necem ad annum proxime antecedentem retulisset. Nobis cum historiographi accuratissimi fidem illam nemo, quantum publice notum est, cerce non recentiorum vellicaverit aliquis, utpote fundatam non æqualium modo

---

*dissentit Vir amplissimus And. Anton. Stiernman in suis ad juvenem stirpis S inæolis eximia Dn. Christ. Joh. Brehmer literis, quæ in in hujus de regni Suetbia regalibus dissertat. legi possunt. In illis autem cum ex chronico vetere rhythmico recensionem annectere voluit eorum, quæ in imperio præstanda rex episcopo nostro coronanti receperit, in nostri thematis illustrationem eadem transcribere, a nostra instituto neque alienum putamus:*

Når jag var wigd til Konunga macht,  
 Med Gud så gjorde jag sådan pacht,  
 Jag lofwade hålla then Christelig troo,  
 Och låta henne med Christelig gierningar groo,  
 På thet tog jag en ring af guld,  
 Ut jag thet til skulle vara huld,  
 Til fästning therpå af Biskopens hand,  
 Som unte mig then helige and.  
 Ther nåst gjorde jag ock sådan lått,  
 Jag skulle hwar hålla wid lag och rått.  
 Jag swor hwar at hålla sin frighet,  
 Som jag ock gjorde, jag ett annars weest,  
 På kyrkior och kloster lagde jag winn  
 Och ålfte them af alt mitt sinn  
 Och theras Personer både fierran och når  
 Hade jag fullmæket i hiertat lår.  
 Gods och ågor och alt thet theras war,

do Daniæ atqve Norvegiæ regum collatione accurata, sed & *HAMSFORTII* chronographi Dani testimonio; nullus amplius superesse videtur ambigendi locus, quin anno hoc eodem ab *OERNHIELMIO* præmonstrato, aut præcedente proximo, coronatio regis *ERICI*, saltem electio (•) ejus abs novo pontifice perfecta censeatur.

### §. IX.

**I**N ceteris non minoris momenti negotiis, quæ prope summam numeris episcopalis illo tempore conficiebant, monasteriorum plantatio & fecundatio erat: ut multiplicarentur inibi ignavorum & inertium nidi, elemosynisque in illos larga manu congestis, una cum re literaria, canonum pura & rituum, pietas christiana scilicet magis suffulciretur. Requiebat status hierarchici ratio ad aliena pabula sedentes fucos ejuscemodi: ut

D

qualis

Tog jag i hägn och godt förswar;  
 Ut omilda män skulle them ett bekymbra  
 Eller någro mätto ifrån Gudstiensten hindra.  
 Et quæ sequuntur.

(•) Coronatione interveniente in tutelam ecclesie reges receptos, & per eandem a persecutionis, captivitatis atque cadis periculo, sub pena excommunicationis, exemptos fuisse statutum concilii provincialis Telgæ celebrati nos docet. Quam vero constituto illo, potestatem conferendi, pro libitu, regii diadematis sibi sensim attraxerint Clerici, non *INNOCENTII* Papa edicto solum, sed & *Nidrosiensis* archiepiscopi sub exemplo *OESTIENI*, permovenai, non nisi grandibus pollicitationibus ad illud quicquid erat officii, præstandum regi suo, *NETTELBLADII*, pro more suo, egregie observat. *Bibl. S. III. pag. 41. seqq.* Cui adjungi meretur *Nob. Vilde bist. pragm. III. 23. 21. seqq.*

qualis peregre invaluerat, talis in Svecia quoque christianismus exurgeret. Sub *SPERCHERO* vero siquidem numerosis monachorum agminibus crevit disciplina ecclesiastica, de *Henrico* tanto certius credere licebit, quod quæ auctibus sui ordinis & peculii hominum inservirent, non indiligenter egerit. Si *MESSENIO* in sua *Scandinavia sancta* credendum, breviori tempore illo, quo cum *Erico* rege divisum imperium Sveogothicum haberet *Henricus*, monasteriorum veterum non exiguus numerus surrexit. Certe regi, ut uniones istos, regni sui auro & argento molliter incingeret, auctorem fuisse non dubitabit, quisquis cogitaverit de raso vertice fratrem *IPSUM* fieri neque dedignatum fuisse, imo *ISRAELE* Erlandi in vita illius teste, religionis insigne suum perpetuo gestasse (?).

## § X

(?) Cilicium puta, quod indumentum ex asperioribus animalium pilis confectum erat Carthusianis monachis, mendicantium ordinis solemne; qui se aliosque beatos somniant justitia, ex talium meritorum fabulis aliisque naniis. Hoc insigne soluisse sodalitatem cum monachis alicujus in patriâ monasterii, *OERNHEIELMUS*, cui hanc notam debemus, censet. Quemadmodum de *CANUTO* rege, filio *ERICI*, eodemque Julitensium monachorum fratre observat, quod eandem patris sui pietatem ille neque segniter amulatus sit. Peculiare vero est, quod de occiso *Erico* refert *ISRAEL* in vita illius: nempe cilicium occiso de raso corpore, cruore multo respersum, & proinde diu olim servatum fuisse. Adde *VILDUM* hist. pragm. III. 2. 22. 3. ubi quanto pretio, puta privata & publica rei damno maximo, constiterint fraternitates istæ, exemplis coævorum regum aliorumque illustrat.



## N. X.

**C**Ausarum secularium recognitio & decisio cum ad audientiam episcopalem plerumque pertineret, illorumque integritati & justitiæ tantum tribuerit horum temporum credulitas; tribuerent reges, ut archivorum regni & rei cancellariæ ministris iisdem usi sint (a). Inde in Svecia illud, neq; præter consuetum, accidit, ut cum, Erico regnante, codex legum veterum, præcipue **VIGERI** Spaa Uplandicæ (ß) revisionem subirent, legiferi

D<sub>2</sub>

(a) De pluribus *Fennigia* nostræ episcopis **IUSTENUS** narrat, quod non nisi pridem cancellariatu & regum advocatiis incti ad illum honorem ascenderint; imo de Germania episcopis **KIRKERUS** testatur, quod ullum, in illa gente, neque summum sacerdotium fuerit, quod non ex imperiali cancellariâ antistitem unum vel alterum habuerit. Scilicet hæc tempora erant, quibus d. mi forisque, respublica & regentium auctoritas accreverunt. Hoc tempore per unipersam, quaqua patebat, Romam sacram, sacerdotes, nomine licet, omine & re ipsa tamen a Politicis ordinem non constabebant: sed qui amplissimis sacerdotiis, iidem & amplissimis in republica muneribus fungebantur, ne forte circa temperandam rempublicam, laici, seu irregulares homines, a regulis & commodis ecclesia aberrarent. A sacris autem gentilium majorum nostrorum in ecclesiam putabit non difficulter irrepsisse istum morem; quisquis ea, quæ de sacerdotibus Germanorum **TACITUS**, nec non Upsalæ veteris illius **SALANUS** perhibet, sine præjudicio perlegerit. Testatur uterque eosdem, cum minores reges (Diar, Drottar) de controversiis publice & privatim constituere sibi arbitrium sumsisse, multitudineque credulam ad quælibet audenda, immensa sua auctoritate adduxisse. Vid. *Curr. W.* 10. 7. (ß) Non Ostrogoticas, ut perperam

feri & proceres laici ecclesiarum præsules & præsertim HENRICUM sibi præficerent. prospera omnia religioni atque regioni tum maxime eventura sperantes, si consilio ad purgandam a vetere idolomania legem publicam, congregati illi, cum imperio, censores justi & æqui præessent (γ). Illorum fide, si quæ de paganismo, christianæ religionis studiosis offendiculo essent, omnia recisum iri non dubitabant. Felicem vero an infelicem eventum illa res habuerit, usus ipse rerum & mutata in non paucis pristinae superstitionis nomina saltem, passim & ubi-

*sentiunt nonnulli, sed Uplandicas præcipue, sub rege ERICO recognitionem passas fuisse, non legum illarum præfatio ipsa modo BIRGERI regis, sed & MAGNI Ericide legisterium, & qui ex illo compilatus est, codex CHRISTOPHORIANUS aperte testantur locis aliis atque aliis. Videbis CHRISTOPH. Leg. provin. Tit. II. de conjug. c. V. Jag gifter tig mina dotter til heders och hustru •• och allan then rått, som Uplands lag åra och then Helige ERICH gaf &c. Addi meretur STIERNHÖK de jur. vetusto Sveonum pag. 338. VILDE hist. pragm. p. 248. NETTELBLADII Themis Sweth. p. 175.*

(γ) Emericuit illa in episcopos insignis pietas Suecorum non hoc tempore solum, sed in ipso ortu christianismi quoque. quo tempore cives neque renuisse, quo minus conciliis populi communibus (Hvarf) interessent hospites & auditores rotæ novitii, ADAMUS testis est. Quemadmodum de Fennia episcopis posteriorum temporum constat, quod in celebrandis anniversariis judiciis, Råttarting, qua a festo S. Henrici, proxima die, ABOÆ inciperent, regis absentis vices episcopus loci obierit, eidemque ad comitia regni cuncti, nobiles & milites, tanquam regia majestati subinde servierint.

& ubique docent. Leges Vestrogothorum Lumberianas, & quam illæ pridem passæ fuissent metamorphosin, quisquis adspexerit saltem, quam in favorem tribunitiæ potestatis Clericorum in illis accurata sint omnia; disciplina sacrorum pristina, (d) puta sub specie religionis invadendæ reipublicæ, omnia in ceteris legisteriis provincialibus conformata fuisse nemo dubitabit. Interim quod ad *Henricum* civilium rerum & imprimis revisarum legum gloria hujus ævi, partim pertineat, *VASTOVIVS* non obscure significat, cum tanti sub moderamine rectoris, pacem & justitiam effloruisse, leges, quas antiquitas minus recte condiderat, vel perversitas maligne obliqverat, correctas esse docet. Quin, cum socio religionis isto neque obscure consentit *JOHANNES MAGNUS*, cum ad *HENRICI* sanctissimi & eruditissimi pontificis consilia ac pias exhortationes leges condidisse & omnem vitæ suæ cursum ordinasse ait piissimum regem. quippe cui illud à natura omnino insitum esset divinæ legis præceptum, quod sine summi sacerdotis consilio nil arduum principes aggredierentur. Imo, rerum Germanicarum commentario suo, *PETRUS BERTIUS* etiam, in descriptione  
 Stock-

---

(d) De Druidibus & sacerdotibus Germanorum majorum nostrorum *JULIUS CÆSAR*, *STRABO* & *TACITUS* & ex iisdem *CLUVERIUS* idem narrant, nimirum quod de omnibus fere controversiis publicis privatisque constituendi illi sibi arbitrium sumserint. Si quid admissum facinus esset, si cades facta, si de hereditate, de finibus controversia esset, illi decreverint & leges interpretati sint: Illi sacrificiis excludendi, animadvertendi, vincendi & verberandi potestatem, non ducis jussu, sed velut Deo imperante, sibi tribuerint, vindicaverint.

Stockholmia, de legibus Sveciæ ipse quoque fatetur, quod sint illæ antiquæ, & ab HENRICO ad nostra usque tempora, puta reformationis Lutheraniæ, religiose servatæ. Putat LOCCENIUS memoria lapsurum esse historicum, ejusque modo ex ADAMO, modo ex vocabulorum HENRICI & ERICI propiore convenientia literarum, errorem excusare annititur. (1) Verum introspectanti in conditionem imperiorum seculi hujus præsertim temporum & TOTATUS HILDEBRANDINI (2) cum quo proxime conveniebat papatus ADRIANI, Nicolai Albanensis puta, (quem Henricum consecrasse paulo ante diximus) apparebit forte BERTIO (3) perinde atque VASTOVIO suas, ut ut dispar-

res,

---

(1) Ericum & Henricum (Hm rife) vocabula esse soni & significationis ejusdem fere: imo in literis & annalibus vetustis, apposita modo, modo omitta aspiratione, unum sæpe alterius locum subire solere, multa sunt, quæ probant testimonia. Quæ ex BENZELIO & ADAMO B. pag. 3. notavimus, nunc non movemus. Præter illa duo, cotidè alia in promptu sunt exempta: alterum ALEXANDRI papæ IV. qui apud Peringsköldium Men. Uyl. I. p. 171. HENRICI regis meminisse in Upsalienti ecclesia requiscentis. Iterum ERICI vocabulum, nominis HENRICI loco legimus apud Chronici Finlandiæ auctorem anonym. (vid. Nettelblad. Bibl. Sv. I. p. 114.) ubi dicitur rex ex Finlandia redux Sanctum ERICUM Anglum Aboa constituisse episcopum.

(2) De quo egregiam dissertat, scripsit Theologus Lipsiensi ADAM: RECHENBERGIUS. Addeſis aſſertat. NETTELBLADII de episcop. Sv. Rom. cathol. itemque de coinperiis Syethicis, PRÆSIDIS sub auspiciis, paulo ante editam.

(3) Johannis Magni fidei forte debetur illud Bertii de Legisterii S. ERICI ad tempora reformationis usque, in regno

res, non defuisse rationes, cur ab auspicio & commu-  
 nione legis revisæ ipsum neque præfulem *Henricum* ex-  
 clusum voluerint. Si enim, quod res est, dicendum.  
 Quamvis non in *Sveithia* adhuc, sine auctoritate princi-  
 pis, rebus politicis se pro lubitu infundere sustinuerint  
 Clerici: non dubitandum tamen, quin sub specie reli-  
 gionis ordinandæ, non illa jura solum, sed & civitatis pro-  
 pria multa, cum prioribus connexa, ad suam constitu-  
 tionem traxerint: cui exequendæ suum modo brachi-  
 um principes deinde accommodaverint. Quidquid sit,  
 prædicationi *Johannis* atque *Vastovii*, utpote pontificiorum,  
 & quem illi secuti sunt Anonymi veteris, certe non in-  
 videmus, cum sub rege sancto, & præpollente ecclesia-  
 sticæ dignitatis culmine hoc ipso pontifice *proveltam* ajunt  
 in timore Domini ecclesiam; lupos rapaces minus ausos fuisse  
 dentes venenatos in oves insontes acuere: neque metum subfu-  
 isse aliquem, ne regnum in se desolaretur, cum ad gloriam  
 Dei & justum tranquillumque regimen subditorum rex æquissi-  
 mus & bonus pastor, prima duo capita populi, tanta consen-  
 sione animorum conspirarent.

### §. XI.

POSTquam episcopus *Henricus* prudentia atque sanctita-  
 te, qua fieri potuit maxima, ecclesiæ & reipublicæ  
 rite intra *Sveciam* composuisset negotia, diras & fulmi-  
 na

---

*Sveithia* summa auctoritate. Etenim ad easdem, ceu benignas &  
 tolerabiles, eodem suo tempore non injuste oppressos solum con-  
 fugisse: verum tyrannidem molientes (qui reformandæ religio-  
 ni facem præferret, ecclesiæ nutritium intelligit) easdem in suas  
 partes adducere neque erubuisse, præsul & primas ille scilicet  
 fatetur.

na timens Romani Pontificis (a), quibus ille non simplici vice periculum vitæ æternæ ostentaverat omnibus episcopis pariter atque principibus subeundum, qui idolatricas in vicinia gentes ad sacra christiana vi armisque compellere intermitterent; cantilenam, cui diu adfueverat ipse, piissimi regis sui auribus scienter & assiduo præci-

---

(a) De hoc eodem pontifice, puta Adriano, ex actis Anglorum publicis Mathæus Parisiensis ad annum MCLV. testatur, quod HENRICO II. Angliæ regi petenti, ut sibi liceret Hiberniam insulam hostiliter intrare & homines bestiales inibi ad fidem reducere, solemnî diplomate istam illico facultatem eidem concesserit. Ad istam pro pœnitentia expeditionemovenandam & ambiendam, episcopos & monachos inauxisse regem, nullus dubito, postquam de iisdem constat, quod eundem non invitum loris & flagellis identidem distrinxerint. Quin Henricus Suecia primas, una cum suo clero Regi auctor fuerit, ut ejusdem tenoris diploma pontifice ab eodem, ipse quoque esflagitaret, tanto minus dubito, quanto inauguratione in ipsa, episcoporum illius avi nemo non ad propagandam, quibusvis viis, religionem, ad adeundum illo fine remotissimas terras, & denique reges imbuendum zeli genere eodem, semet jure jurando adstrinxerit, quemadmodum thesi in ipsâ modo diximus. Illius vero bullæ quandoquidem neque ἀντιγραφοῦ, nedum ἀντιγραφοῦ ullum superest, quam Anglorum in viciniâ regi pontifex rescripsit, anneclere non displicebit; ut quâ non dissimili formulâ verborum, si non eâdem, potestas & indulgentia convertendi barbaros nostro principi data fuerit ab eodem pontifice, in eâdem p̄ causâ, & eodem omnino tempore, quandantenus appareat. Privilegii vero gratanter regi Henrico concessi, hic tenor verborum est: ADRIANUS Episcopus servus servorum Dei, illustris

præcinere nullatenus cessavit. Neque dubitamus amicitiam veterem, sanguinis, saltem natalis soli jura Henrico cum pontifice communia; præcipue vero autoritatis eminentiam, qua ille Imperatorem ipsum quoque violare præ-

E

præ-

*Anglorum Regi salutem & Apostolicam benedictionem. Laudabiliter & satis fructuoſe de glorioſo nomine propagando in terris & æterna felicitatis præmio cumulando in cælis tua magnificentia cogitat, dum ad tantos eccleſiæ terminos, ad declarandum indoctis & rudibus populis chriſtiane fidei veritatem, & vitiorum plantaria de agro Dominico extirpanda, ut catholicus Princeps intendis, & ad id conuenientius exequendum, conſilium ſedis Apoſtolice exigis & fauorem. In quo factò, quanto altiori conſilio & maiori diſcretionem procedis, tanto in eo feliciorum progreſſum te parante Domino, confidimus habiturum. Significasti ſiquidem nobis, ſi in Chriſto chariſſime, te Hiberniæ inſulam ad ſubdendum populum legibus chriſtianiſ & vitiorum inde plantaria extirpanda velle intrare, & de ſingulis domibus annuam unius denarii beato Petro velle ſoluere penſionem; ita & iura eccleſiarum illius terre illibata & integra conſeruare. Nos autem pium & laudabile deſiderium tuum fauore congruo proſequentes, & petitioni tue benignum impendentes aſſenſum, gratum & acceptum habemus, ut pro dilatandis eccleſiæ terminis, vitiorum reſtringendo concurſu (decuſſu iuxta RYMERVM) pro corrigendis moribus & virtutibus inſerendis, pro chriſtiana religionis augmento, inſulam illam ingrediaris, & que ad honorem Dei, & ſalutem illius terra ſpectauerint, exequari; & illius terre*

præsumsit, ad zelum metumque præfuli inspirandum; proferendumque apud regem, cujus jam ante facilitatem sibi vestigalem reddiderat, veteratorias curiæ Romanæ artes, plurimum valuisse. Existit *Æthelii Alexandarum III.* papam (β) vellicasse aurem regi & episcopo, ut hanc in Fennos expeditionem susciperent. Verum cum sit epistola, quam pontifex ille de violenta conversione Fennorum scripsit, scripta post mortem *Henrici*, quatuor minimum annis, eaque ad *STEPHANUM* Upsaliensis ecclesiæ tum temporis archiepiscopum, acta diversorum temporum confundi quisque videt. Erat Fennorum gens, sicut hodie; ita olim magis Svethiæ regno contermina, eadem-

---

*populus te recipiat, & sicut Dominum veneretur, iure ecclesiarum illibato & integro permanente, & salua beato Petro, de singulis domibus, annua unius denarii pensione. SANE OMNES INSULAS, QUIBUS SOL IUSTITIAE CHRISTVS ILLVXIT, ET QUAE DOCUMENTA FIDEI CHRISTIANAE SUSCEPERVNT, AD IVS SANCTI PETRI ET SACROSANCTAE ROMANAE ECCLESIAE (quod tua etiam nobilitas recognoscit) NON EST DVBIVM PERTINERE. Si ergo, quod animo concepisti, effectu duxeris prosequente complendum, stude gentem illam bonis moribus informari, & agas tam per te, quam per illos, quos ad hoc fide, verbo & vita idoneos esse perspexeris, ut decoretur ibi ecclesia, plantetur & crescat fidei christianæ religio, & qua ad honorem Dei, & salutem pertinent animarum, taliter ordinentur: ut & à Deo sempiterna mercedis cumulū consequi merearis, & in terris gloriosum nomen valeas in seculis obtinere.*

(β) *CERNHIELMIUS* *VIA PONTI DELAGARDIE* pag. 73.



demque Baltico mari ab oriente & aqvilone contigua. Fecit situs propinqvitas utriusque : fecere comērcia ul-  
tro citroque exercita, & ex iisdem nunquam non oriri  
solita æmulatio, ut crebræ inter utramque gentem si-  
multates & offensiones longo tempore exstiterint. Te-  
statur verus Upsaliensis ecclesiæ breviarium, & ex eodem  
*VASTOVNIS*, ceteriq; , quod continuis incurfionibus dama-  
Syionæ incolis intulissent Fenni. Illam ceu publicam ci-  
vitatē ( ne de poculi (γ) ad dilatandum regnum, votiva  
religione quid dicam ) causam ad bellum vicinæ ho-  
rum inferendum, regi præsul noster insuffuravit. Ve-  
rum defuit titulus alter neque, idemque singularis bel-  
li adversus Fennos suscipiendi. Erant illi non Svethiæ  
regno inimici modo intolerabiles sed & idololatræ. In

E 2

cos-

( γ ) Fuit illa Scandianis præcis in electionibus regum re-  
cepta ceremonia, ut exinanito, magna cum veneratione, se-  
cundo calice ( *Bragdebågare* ) futurus rex voto se adstrin-  
geret ad dilatandum fines regni sui. Atque talium occasione  
votorum, expeditiones non paucas adversas externas gentes fre-  
quentatas fuisse, *VEXTIONIS* perhibet, imo exemplis cum gen-  
tilitatis, tum quoque Christiano *ERICI* Sancti bello hocce Fen-  
nis illato illustrat lib. V. cap. 2. fin. Qui Polonici belli *Svecis*  
proxime illati apologetam agere non verecundatus est ano-  
nymus virulentus, capitulationem regni ejusdem forma fere,  
etiamnum apud Polonos in viridi usu esse, non agnoscit solum:  
verum de decreto recuperandi ea, qua per bella pridem regno  
apulsa fuerint, absolute pronunciat etiam, quod neque statui  
naturali, ejusque legibus dipinis de pactis servandis quidquam  
deroget, neque libertati status illius, quam non limitibus aut  
apibibus privati juris teneri asserit, præjudicio alicui esse possit.

eosdem cum, salvo amore Numinis, omni sine indictione insuper, prædari, pium sanctumque, illorum more temporum habebatur, quis dubitat ecclesiæ, puta curiæ Romanæ causam hancce, eandemque vitæ æternæ meritoriam, majore quam alteram, molimine motam & ab episcopo agitatam fuisse? Certe de illo expeditionis & legationis in Fennos sine primario, quem *divinam cogitationem* *LOCCENIUS* appellat, securos nos esse jubent scriptores Svethici tantum non omnes: præsertim vero *VASTOVIVS*. Imo eodem multo antiqvior *ISRAEL* Erlandi etiam, qui, una cum rege, *Henricum* Fennos adversus *christianismum* rebelles valida manu adgressum fuisse prohibet. Neque dissimulat *JUSTENUS* & *JOHANNES MAGNUS* hanc superstitionem gentilem, primam & præcipuam rationem memorabilis in Finlandos militiæ fuisse, quam adeo non suo, quam episcopi instinctu, rex suscepisset. Quid multis? qui norunt, quibus ad demendam an vero augendam superstitionem, certe dilatandam monarchiam sacram suam, cuniculis incedere soleant papicolæ; quam rerum omnium notitia & discussio ad audientiam episcopalem olim pertinuerit, iidemque religionem iisdem armis, quibus regionem dilatare non inhonestum putaverint: Promptitudinem obedientiæ, quam suo episcopo præstitit *ERICIUS*, in obrectationem juris & majestatis civilis non facile quisquam vertet. Qvi cogitaverit Græcorum gentilium leges & instituta, puta persequendi impune barbaros (d) mutatis nominibus, in politicam  
sacram

---

(d) Pontificem Romanum in præsens usque, quoties adversus Turcas bellum appareret imperator, beneficia, qua ordinarie cederens patrimonio ecclesiæ, hactenus in imperio, puta R. Germ. belligeranti omnia concessisse, sub specie religionis obrudenda in-

sacram suam secure adoptasse horum temporum christi-  
anos : vi canonis & instituti ejusdem, non Scandiae mo-  
do sed & ceterarum gentium christianarum reges & im-  
peratores igne ferroque in partibus infidelium grassari  
solitos fuisse, eoqve facto gloriam magis quam ignomi-  
niam meruisse, ipsis sibi aliisque visos fuisse, nemo mi-  
rabitur.

§. XII.

Vult SCHEFFERUS non praecise (e) religionis, qua cum  
imperii proferendi & attrahendi aliena sacra fames  
nunquam non conjuncta fuit: sed saltem regionis suae,  
hostilitatisque ab illa retundenda causa ERICUM regem  
ad arma Fenonibus inferenda profuturum. Verum si in  
historiam horum & sequentium temporum vel paullu-  
lum nosmet immittere voluerimus, non ex bullis pon-  
tificum ipsorum modo, adversus gentem nostram duces &  
episcopos Svethiae exstimulantium (z) sed & OLAVI,  
CANUTI Daniae Norvegiaeque, nec non aliorum, infini-  
to

---

*fidelibus, vulgo notum est. Hoc tempore, quo novum bellum  
molitur Caesar adversus Turcas, munimentis Ungariae conden-  
dis, reficiendisque consecrasset censum istum, in novellis publicis  
paulo ante legimus. Nempe postquam politia sacra veteris illi-  
us soloecismi in oculis, non aliorum magis, quam ipsius papa se  
ingerere ceperunt, accommodatis ad genium praesentis aevi, no-  
vis notionibus, veterum canonum imprudenciam sensim expun-  
gere studet.*

( e ) In notis ad Israëlem Erlandi pag. 66.

( z ) Praestigiae, quibus regum superstitione credulorum aures  
obturabant, nobilissimo VILDIO teste, cantus fuere Sirenni, i-  
idemque quaestuarii de contemptu transitoria felicitatis, gloria ac

to numero, regum exemplis clarum evadet, eosdem præstigiis infatuatos episcoporum suorum, alienigenas gentes, ipsosque cives suos, ob non receptam temere fidem christianam, agris, bonis & denique vitâ multas-  
se: non alio jure, quam gentium tantum non omni-  
um pontificio illo: quo quisquis *Othino*, *Mubamedi* cete-  
risque sacrorum regibus, petulco more non serviret &  
pie periret, ille deliciis & honore cum heroibus atque  
martyribus perenni neque frueretur. Quæ nostri regis  
partes in hoc bello fuerint, & utrum omni sine causa  
hostilitatis aliâ expeditionem susceperit, nil nunc atti-  
net dicere. Id scio, quod postquam *passagia*, sacris acqui-  
rendi modis annumerata pridem, regibus imperare cœ-  
pisset pontifex Romanus (¶) constituereque certos sectæ  
sue homines, qui iisdem unâ cum principibus præse-  
sent

---

*divitiarum, quas ab aliis neglectas, uncis ipsi manibus ad se traherent.*

(¶) Non Henricum suapte instituto, verum Pontificem Ro-  
manum, suo imperio armasse reges ad bella sacra diximus. Ali-  
quibus post seculis cum ethnicorum in America ferretur pisto-  
lica conversio, apud FERDINANDUM Catholicum ejusque sacri  
belli ducem iam institutum valuisse legimus, nempe ut nil in bel-  
lo a præfæctis militia decerneretur aut suscioeretur perficiendum,  
nisi communicato prius concilio cum religiosis, quos conscientia  
consiliorumque directores Papa Rom. iisdem a latere adjunxisset.  
Sed quo divino, an vero humano jure, pacis atque belli jura  
ista Papa sibi vindicet, penitus ignoro. Quamdiu non evidum  
iverit ecclesia eandem, quæ rei civilis inoletem esse, cui necessa-  
rio, in his terris cum imperio quis, vice Dei præsideat, titulum  
difficiliter aliquem inveniet, quem pietatis monopolio; puta

sent, de isthac in orientem itidem suscepta expeditione Scandiana, *VEXIONIS* gravissime dixerit ( § ), quod postquam ab avo *OLAVI* *Östkonungii* ad tempora regis Svethiæ *ERICI* Sancti, patriotæ intra fines patriæ, per annos *CLXX CHRISTUM* colere contenti fuissent: deinceps, suos iterum iterumq; moventes lacertos, ad has ipsas transmarinas Fenningiæ oras religionem propagarint: idque ad instantiam *Henrici* episcopi, qui *expeditionis cruciata* in his oris concitor comesque, teste *OERNHIELMIO*, præcipue fuisset. Imo *SCHEFFERUS*, de quo jam ante, imemor sui prope, eandem, puta religionis, propagandæ causam expeditionis Fennicæ præcipuum motivum fuisse alio loco, puta *Laponia illustrata* suæ, non obscure agnoscit: cum odium externi imperii, religionisque a suis & majorum sacris quam longissime dissidentis, ad novas magisque in Lappiâ, adversus Deos & homines securas sedes quærendum cives nostros adegisse instat, de qua re plura in sequentibus visuri erimus.

### §. XIII.

**A**D expugnationem *fidei & regni* sui hostium, armata manu pertendisse regem, præsule nostro comitatum, audivimus. Quantum ad vim ipsam belligerendi, nulli dubitamus *delectum* ex universo regno militum, classiariorumque, pro more illius ævi, habitum fuisse: classemque adeo, æquis virisque numerosissimam, ex universis centumpagis ablegatam fuisse adversus gentem bellicosam, quæ expeditiones Svecorum cum gloria multas ante

---

*monarchis Romanae suæ, sub illo schemate, per extera regna regesque acquirendæ, prætexere possit.*

( § ) *Politic. pag. m. 547.*

ante repulisset. Via, qua nos hodie ire solemus, perrexisse, adeoque per Alandiam, Scandix insularis, in orientem ( *Musterwägs* ) regionem ultimam iter direxisse suum, nulli dubitamus. Licet enim bellicæ naves, quales post inventum pulveris pyrii usum, hodie instruuntur gementis pondere molis, Scyllæam rabiem freti illius ( 1 ) non facile subitura sint aliqua: hoc tempore tamen, quo ante acus magneticæ inventionem ( 2 ) & cognitam virtutem illius *Ποσειδωνος*, fluxus sinuum sequebantur, triremibus suis ( *Langstieper Roderfärjor* ) in diversam maris regionem trajecturi: quid obstat tamen, quo minus isto in orientem militari trajectu, siderum ductus, eademque quas ante majores, puta regum piraticorum vias & calles ( *Sjöflugaleid* ) *Ericum* & *Henricum* secutos esse, pro vero statuamus. Confirmant in illa sententia nosmet portus & insula *Kongshamn*, *Kongsbön*, in ceteris terris Alandiæ circum fluis, notissima nomina, quæ a temporaria statione, quam præstitere huic regi, appellationem gestare tanto magis probabile videtur, quanto ordinarium ponti ocium illud prope Upsaliam, ubi regiæ celoces istæ, pacis tempore, servari solitæ fuerunt, cognomine splendido isto hodienu quoque insignitur.

## §. XIV.

( 1 ) *Jungtustår* olim *hundstår* in scopulis Alandici maris non ignota vocabula, collatione facta eorum, quæ de Scylla & Charybdi in Ovidio narrantur, dissertationis de Alandia auctorem prope eo adduxisse videntur, ut hisce oris veracissimam metamorphosin earum pro non improbabili existimaverit. *Vid.* *Dissert.* pag. 79.

( 2 ) Deberi illam seculi XIV. initio & quidem Johanni Goæ *Amalphytano* *Itale*, vide *Hübners Zeitung* *lexicon*,

## §. XIV.

**S**perato mari, quod ab *Alandia* Fenningiam disternat, quâ regione hostilis soli, classis regia primum diverterit, anceps est quæstio. Certe non minor de eo, quam de ipso currentis seculi illius anno, in quem incidit expeditio isthæc, historicos inter dissensio sese prodit. Temporis rationem utcunqve expedire, adeo tamen multo cum labore non existimamus conjunctum esse, quam investigare locum, ubi rates primum confederint. Maxime cum nullus fere boream versus, Finlandiæ maritimus tractus sit, qui non pontificis hujus penes se hospitio excepti & cum illo religionis penes se sinu gestatæ ptimordia vindicare aggrediatur. Utriusqve circumstantiæ, anteqvam ad ulteriora perventum fuerit, ratio habenda est. Et primum quidem quod ad *tempus*, licet inito quasi fœdere conspirent superioris ævi scriptores, *JOH. MAGNUS* & ceteri illius asseclæ, quod non multo post annum quingagesimum, eundemqve Jubilæum & mysticum, acciderit hæc in Fenningiam nostram auspiciato facta navigatio: propius tamen rei controversiæ scopum attingisse crediderimus *OLAUM MAGNUM* & ab illo proxime *PERINGSKIOLDIUM* atqve *ØRNHELMIUM*, quorum *ILLE* anno LV præcise; *ISTE* subsequenti anno; *HIC* autem non nisi septimo anno, supra L. seculi illius accidisse putant: idqve non sine ratione, si *Henrici* nuperum in Svethiam adventum & quas inibi curas, non nisi longioris moræ, regno & ecclesiæ ordinandæ, insumit, rite computaverimus.

## §. XV.

**P**orro quod *oram* Finlandiæ attinet, in quam subduxit naves, suamqve sacram militiam unâ in adventu se-

cum exposuit *Henricus*, de eo, prout dictum modo fuit, plurima & prope non pauciora, quam de patria *Homeri* sententiarum divortia prostant. Prope illum tractum, ubi *Neostadium* oppidum postmodum surrexit, excensionem primum factam fuisse, sunt qui pro certo asseverare non dubitant. nomine in illam opinionem adducti ecclesiae in vicinia, quae *Pyhama* dicitur & *sanctum* idiomate vernaculo *locum* significat; qui nisi introitu in regionem *divi* hujus, ecclesiae ibidem institutione, cura atque consecratione fuerit cohonestatus, quo alio modo cognomen religionum huic ecclesiae, praeter ceteris locis religioni dicatis, adhærescere coeperit, nulla semet sagacitate subolfacere posse ajunt. Nobis etsi illud nullatenus improbabile videtur, quod ad obtinendum finem missionis, alio atque alio tempore, non in illam minus, quam ceteris *Fenningiae* partibus mari proximis, delectam missionariorum turbam excendere fecerit praefulis nostri armata pietas; imò profanis locis quoque, recepto more seculi illius, sanctitatem facile impartiri potuerit: nihilominus tamen ad obtinendum illud, quod quaeritur, nempe quod illam oram primum subierit, & per illas fauces transitum sibi in interiora regionis aperuerit, nominis & religionis auctoritas sola mihi non omne punctum ferre videtur. Non diffiteor adventantis viri peregrini aspectum, toga, bireto & ceteris sacri imperii insignibus ornati (e) itemque missarum solemnities ab ipso magna cum devotione celebrata, quem admodum barbarorum animis horrorem, ita loco, in quo

---

(e) *Conf. legenda S. Sigfridi, auctoris Anonymi in monument. eccles. BENZEL, pag. 23.*



quo contingerent ista, nomen novum facile conciliare potuisse: aliorum more locorum, quibus ex peculiari eventu saepe nominis celebritas in omne aevum accrevit. (σ). Verum cum ullam neque praesulis nostri, neque officii illius certam & distinctam mentionem aliquam involvat *sancti* notio, eademque inviolabilitatem involvat saltem; cultumque non *religiosum* modo sed & civilem: quam sanctitatis speciem respexerit, quicumque loco nomen illud imposuit, difficillimum erit absolute decernere. Fennica nomina *Pyhäkästi*, *Pyhäkösti*, *Pyhäkä*, *Pyhäluoto*, in Botnia ut & alibi nouissima nomina sunt; sed quibus ex cultu sacrorum aliquo, nedum christianae religionis auspiciis *sancti* nomen illud adscriptum fuisse, non facile quisquam dixerit. Et si vel largiamur religionis sanctitatem indigitari nomine isto, quis non novit gentiles etiam suis caeremoniis, suis lucis atque fanis religionem affinxisse sanctitatemque; & adeo illam quidem inhaerentem, ut oratoriis (τ) christianorum, ex superstitione, non dicam pontificia sed & gentilicia hodie num nomina multa supersint. Hactenus de fabula vulgi illa, quae satis diu aliorum quoque credulitati magna se probabilitate commendavit. F2 §. XVI.

(σ) In Vesmania nec non Morea australi, Calmariensis dioceses, loca illa, quae Sigfridus & David Apostolica legationis suae partibus defuncturi, primum subivere, *Davidss stad*, *Wistopschann*, *Sigfrids hamn* hodie quoque appellantur, vid. dissert. de Davide p. 15. Et colleg. mscr. BENZELII.

(τ) Oratoria ecclesiae domos suas appellasse veteres christianos ad distinctionem temporum, quae gentilibus servirent pro idolorum receptaculis, & deorum ipsorum claustra essent, ex SCHURSZLEISCHIO, BINGHAMO ceterisque plus satis constat.

**A**Ltera de termino seu loco exscensus S. *Henrici* conjectura est, quod ubi *Uffelensis* amnis freto se infundit, eodem ostio quoque Suecorum copiae in regionem se infuderint. Nititur illa neque conjectura firmamento alio ferè, quam quadam vulgi traditione, de famoso idolorum cultu in illius viciniae lucis atque nemoribus celebrato. Cujus cum exteris neque ignota esset superstitio, adeoque prae aliis ejus generis locis, videri potest permovisse *Henricum* ad movendum huiusmodi bellum sacrum suum: proinde in hanc regionem primum appulisse, sunt, qui velint nonnulli. Quin, expugnata illa barbaricae superstitionis primaria sede, primum villam fluentis ostio proximam & mox ecclesiam universam neophytorum *Ustön* *laxo* *vallem* *fideliū* cognominatam fuisse. Prætexunt religionis penes se primum admittæ titulum istum *Uffelenses*, idque tanto ad veritatem similitudine majori, quanto viciniam terræ eandem iam ante *Mursla* *lån* dictam fuisse, ex tabulis rei agrariae publicis (Suehice *Jordeböcker*) non ipsi modo probare annitantur, sed & alii in excutiendis nostræ gentis antiquitatibus impigre versati (Φ) insuper etiam

---

(Φ) *Clariss. M. AHLROT de Gestricia, Part. II. p. 4. de*  
 " *haec colonia Sueonum in hunc modum loquitur: Sub ERICO*  
 " *Sancto rege Suecorum colonia CC. & LX. circiter hominum*  
 " *ex Gestricia & Helsingia in Finlandiam mittebatur, quae*  
 " *tractum illum, qui jam Nylandia dicitur, occupavit. Heic loci*  
 " *Helsingi vestigia nationis suae Helsingforsiae & in paroecia Hela*  
 " *stings Sochn dicta, reliquerunt. Gestricii vero versus orientem*  
 " *secedentes, paroeciam Sibbo, contra Sibbo ita*

etiam notarint, ejusdem *ERICI* regis sub auspiciis, & *Helsingia* & *Gestricia* in illum tractum, qui *Nylandia* hodie dicitur, coloniam circiter CCLX. hominum, hoc eodem tempore missam fuisse. Atque in illo expediendo instituto, quod cum religionis propagatione (X) con-

“ nuncupatam, quod pagi ad fluentia amnis utrinque exstru-  
 “ ti fuerint, constituerunt. Hic ipsi quoque memoriam nominis  
 “ sui reliquerunt, nempe pagum in illa parocchia *Gestrikebyn*,  
 “ hodie *Gesterbyn*. In parochia *Kyrckstätt* alius ejusdem no-  
 “ minis quoque celebratur. Hic terra tractus, quem *Gestricii*  
 “ & *Helsingii* occuparunt, tantum spatium complectitur, ut  
 “ provinciam Gubernatoris ( *Zawasthus län* ) octo pratoria-  
 “ tus comprehendentem contineat. haecenus ille.

(X) De hisce ultra borealem & australem *Fintlandiam*, divi *ERICI* progressibus *ORNHÖR* in jure vetusto suo, pag. 20. seqq. loquitur: eosdem neque intactam reliquisse *Careliam* ex privilegio *Viburgensi* urbi datis, iisdemque abs *GUSTAVO I.* & *CAROLO IX.* regibus *Suethiae* pro authenticis habitis, confirmatisque approbat. Fatemur *Viborgi* natales a *MESSENIO* in *Fintlandiae* chronico ad seculum XIII. referri. Verum ob stare non potest illud clarissimi viri assertum, quominus *ERICUS* rex ex substratis *CHRISTO* sibi que *Fennis*, *Carelis* atque *Esthoni-* bus, nec non ceteris inquietis consanguineis gentibus, gloriam ambiverit: & eadem occasione illa quoque privilegia & immunitates incolis loci & regionis illius, ubi mox oppidum surrexit, dare potuerit, qua suis actis deinde *Viburgenses* inseruerint & pro suis vendiderint. Quin tuctur eandem quoque sententiam, *ORNHELMIIUS* in vita *PONTI DELAGARDIE* pag. 73. ubi *ERICUM IX.* sive sanctum regem *Suethiae* interpositum omne  
 “ inter *Suethiam*, *Fenniam* atque *Livoniam* mare piratis pur-

conjunctum nulli dubitamus, alienigenam in transitu gentem Ustenses per omnia intactos reliquisse, ægre sibi persuadebit, quisquis gentis hujus celebratam apud exteros fortitudinem vel per famam audiverit; imprimis vero commerciorum cum *Varegis* jam olim cultorum, vestigia legerit (ψ). Verum cum concedat clar. Dn. Mag. *ISRAEL ESCOLINUS* Pastor Ciundo-nsis in excerptis ad me datis historicis, ubi *Bistensium* suorum causam agit, quod si quæ, in suis civibus, commoratio *S. Henrici* facta fuerit, illa, non nisi alibi prius firmata statione, acciderit, missam mox facimus traditionem istam, & de quo loco utrinque conventum fuerit, mox indicabimus.

§. XVII.

**T**ertia, quam quoque rejicimus traditio est, quod in *Ostrobotnia* territorio *Korsholmensi* & quidem littore illo, ubi *Areusberg* munimentum, vulgo *Korsholm* postmodum

---

“ gasse ait, ut tuto ei adpositas terras mercatores adire possent,  
 “ eo advehentes non merces tantum, sed sacerdotes quoque &  
 “ monachos, omni merce pretiosiore populis ferentes annuncia-  
 “ tionem divini evangelii. Denique, cum quæ ex annalibus  
 Patriæ reverendiss. auctor historia urbis *Sigtoniæ de Moschis* &  
*Fennis ac Carelis* quoque memoria prodidit, mihi in mentem  
 veniunt, quomodo in *Sveibiam*, regnante *CANUTO* rege, irru-  
 perint, & urbem modo memoratam funaitus deleverint, quid  
 quæso verosimile magis, quam quod deivimenta, quæ popula-  
 bundus parens nuper intulisset, in filio, talionis jure simpli-  
 cis vindicatum accesserint.

(ψ) Confer de præcæ gentis *VAREGORUM* originibus dis-  
 sert. pag. 52. fin.

modum surrexit, una cum rege episcopus agminibus remorum suorum primum diverterit. Qui hanc traditionem germanam volunt, ex vetustis traditionibus (gamla runor) certitudinem illius probari posse non dubitant. Cujusmodi vero illæ sint, ex quibus literatæ antiquitatis scriniis eadem haberi queant, cum nullam pariter adferant mentionem, quantum opinioni illi subsit solidi, dissertationis de *Ostrobotnia* clariss. auctor non dissimulat, cum in describendis memorabilibus arcibus & ditionis *Norsholmensis* adeo non aliquam heic loci factæ excensionis *Henricide* mentionem facit, ut potius evictum eat ex *MESSENI* chronico rhythmico ( ne quid de ceteris scriptoribus dicamus ) *ERICUM* Gåspe regem, & quam ille ad Botnienses instituit expeditionem recentiore, cum *Sancti Henriciana* hacce confundi omnino & invicem tempora misceri. Censuram illam non negamus nos partim nostram facere. Sed qua tamen derogatum nullo modo volumus dum virali judicio historicorum gentis nostræ, *SCHEFFERI* atque *BENZELII*; quorum iste *ERICI* regis expeditionem in Finlandiam (ω), qua ille tributariam novo imperio atque religioni gentem fecerat, eandem ad quærendum novas in Lapponia

---

(ω) Per Finlandiam, certe Ostrobotniam ejusque incolæ præcipue intelligit utpote Lapponia finitimos. Illos, si qui Fennorum alii, ad relinquendam germanam patriam & in alteriora, deserta licet, concedendum coactos fuisse, quis dubitat? Sed qui tempore illo consilium emigrandi vix cepissent, si non religionis a sacris avitis abeuntis, neque alienigenæ metus domini, quem in vastis sylvis viventes pati voluerat, eandem in ipsis necessitatem, imposuisset.

nia sedes permovisse, Lapponesq; jam inde ab eodem illo, pura, *Sancti ERICI* tempore nomen *CHRISTI* audivisse asserit: hic autem de S. *HENRICO* expresse testatur, quod præconio suo perfecit, ut non ad ceteros Fennos solum sed & Ostrobotnienfes sonus evangelii *CHRISTI* pertigerit (c), Scilicet, cujus operâ non negavimus modo christianismum una cum imperio apud Nylandos stabilitum fuisse, puta per delectam Svecorum manum illuc translata, ejusdem destinatione etiam religionem & regnum in Ostrobotniam propagatum fuisse verosimilitudine non caret. Præit in illam sententiam nobis non longe de antiquitatibus gentis suæ meritissimus præpositus *E. FROSTERUS*, cum *ERICI Sancti* regis auspicio ad continendum sub imperio Fennos (u) maritimam oram terræ ibi a Svecis inhabitari cœpisse monet. Idque graviter & accurate satis. Nisi enim in illius sententiæ probabilitatem cum viro doctissimo conspexerimus, aram magis certam statamque, qua ista Sveonum in Fenniam emigratio facta fuerit (a) Fennique agmine non minori per sylvestres

---

(c) *Via. Coll. H. Sv. G. mss. no. III. 8. 1. & SCHEFFÉRI Lapp. cap. VI. & VIII*

(u) *Vid. dissert. de Ostrobotn. pag. 32.*

(a) *Non illi sumus, qui coloniarum in Fenniam Svecogothicarum deductionem S. ERICI auspiciis omnem penitus aberi contendimus. Multo enim ante in Ostrogardiam expeditiones instituisse Svecos, ibique gentis suæ regibus civibusque fiduciariis litora infesta quoque præcinxisse, notissimo notius est. Id saltem volumus in illis veterum migrationibus Ericianam hanc, quemadmodum notissimam & illustrissimam, ita quoque populosissimam fuisse, qua ad subducendam in securo, religionis sta-*

vestres alpiam Noricorum convalles delitescere cœperint, decernere difficillimum erit. Quidquid sit: divertit ab eodem scopo sensuque procul neque JOHANNIS MAGNI,

G

JUS-

que regni majestatem, cives suos, hac illas intrusit ERICUS; ex-  
cussis Fennis, qui ne domi amplius nocere possent, solum mu-  
rare, sedibusque trans mare servatis ( Marebio-Fennorum &  
Scritofennorum, avita gentis sue, more ) in posterum subsidere  
jussi fuerunt. Adducit nos in illam sententiam prorsus ALE-  
XANDRI papa III. epistola, quam facta fuit hac expeditio Eri-  
ciana, triennio post scripta ad Stephanum illo tempore Up-  
sal. Archi-episcopum. in quâ monet à cogendis & convertendis  
Fennis prius non esse descendendum neque regrediendum Svethis  
quam munimenta, si qua haberent, ipsis tenenda assignavis-  
sent, aut aliam quamcunque cautionem exhibuissent, qua sa-  
tis securos reddere posset eos, fore ut pedem Fenni non retra-  
herent, adeoque conversorum prudentiam ludibrio exponerent.  
Arces & munimenta, præter illa naturalia, non habuisse Feno  
nos illo tempore, credibile admodum. Garantias & cetera cul-  
tioris orbis fidei firmamenta rudior atas illa prope ignorabat,  
proindeque non alio itinere, quam unius gentis in alterius  
sedes translocatione, ad finem intentum perungere potuisse Suecos,  
quid verosimile magis censei potest?

De illa vero gentis Svethia colonia, quam maritima hujus  
urbis regione & quidem divisa cum Fennis possessione, vetustas  
collocavit, quo tempore & cujus auspicio regentis advenerit:  
an vero veteris colonia alicujus nova propago sit, nodius Gore-  
dius est, cui, quamdiu nulla historia, neque antiquitates gen-  
tis aliquæ viam præverint, solvendo omnis nostri avi impar-  
erit industria. Pro vetustissima gentis colonia libenter vendita-  
rem: præsertim consentiente una cum ratione, ipsa quoque ex-

Perientia, quod prius se propioribus arenigena gentis sedibus, quam remotioribus illis, nusquam non infundere sverint noræ hospitum vires. Verum cum illud nemo adhuc penitus evictum dare soluit, quod hac Finlandia seu potius Osterlandia ora, præ ceteris Varegorum mari vicinioribus, rudi etate cultior aut copiosior exstiterit: quin ulla neque gentilitatis avitæ sue monumenta alicubi ostentare possit: recentioris, christiani ævi putæ, coloniam esse pro certo adfirmaverim. Id enim nemo dubitare potest, quin, si a gentilibus Svecis facta fuisset occupatio, quemadmodum ceteris, trans mare, sedibus suis, in Esthonia (PERINGSCIOLD: monum. I. p. 253.) ad Tanaim & Borysthenem, imo Russia quoque amœnioribus locis (BRENNER ad BENZEL: epistolâ) Ita hac regione quoque, passim & ubique cippos & colles sepuchrales (Attebroar, Attehogar) originis & religionis & expeditionum suarum monumenta reliquissent, ætatem & durationem, quam atibi, eandem habitura. Nisi nostræ ore idem ingenium esse quis existimet, quod insula Cypri, ac quâ SAXO prodit, quod tumulorum impatiens sit, adeoque mandata sibi interdium corpora, proximâ nocte rejiciat. Quidquid sit, si non cum ERICO, saltem lucis & religionis christiana ortu in ipso, quâ cum majorum sacra funebria peritæ sublata fuere, gentem, quæ nunc est, dominam immigrasse puto. Quæ licet non invita pascuis & late fertili Fenorum gleba semet infudisse videtur; cum ipsis perinde bona fide eamen neutiquam coaluisse suspicari licebit, quamdiu illam non rite excusserit nostratum de se præsumtionem, quod caruleis sui freti faucibus transitum hosti non illibenter permiserit; & cum altius ille se in regionem infunderet, receptum classi illius, securitatemque, quam pro jure hospitii & conceditæ sibi finium regundorum custodia, magis officiose præstiterit.



38

indignantur ILLI Svecis & principibus eorum, quod mancipia Fennorum in alias atque alias terras ad turpem servitutem deportaverint: HIC autem de Svethis insuper etiam perhibet, quod non suam modo oram maritimam classibus defenderint: verum illorum remigio lemborum suorum, etiam ultra mare imperium dilataverint, atque in subactis terris, ad parta tuenda colonias reliquerint.

§. XIX.

**O** Strobotnienſibus ceterisque gloriae hospitio excepti penes se adventantis *HENRICI* dubiam facere *Rumæenses* satagunt: item *Satacundi*, *Dulfsbyenses* putata & *Ulistaröenses*, quorum cum nemo sit fere, qui non noverit ore majorum, puta carminibus atque runis traditione longa conservatis, etiamnum celebrare *S. Henrici* in suam ditionem primum appulsum: iidemque non gladios solum, calcaria & nodosas clavas (*Morgonstierner*) aliaque pugnae Fennos inter Svecosque habitæ anathemata: verum ædiculam aut si mavis sanctam casam, ubi præsul munus apostolicæ legationis suæ peregit, ostentare possint: de veritate exscensionis penes se factæ sobrium neminem amplius dubitare posse putant. Certiores per epistolam traditorum horum nosmet benigne fecit Pastor *Rumæensium* laudatissimus *Dn. NICOLAUS TOLPO Aboensis*. Sed qui cum ipse ambigat, utrum regionem illam primum salutaverit episcopus at-

---

(3) *Hist. Svecog. XIX. 19. quo cum conferri meretur episcopi D. JUSLENI Aboa vetus & nova, qui vilem & prope servilem conditionem Fennis imposuisse Svecos nuper victores affirmat.*

que hostes novellæ fidei in illis campis prostraverit, de qua re postmodum, non dum omnem gentis nostræ, de *περὶ ἁγίας* hospitalitatis, disceptationem evolutam quisque videt.

## §. XX.

QUas potissimum venditare soleant narrationes civium provincialium alii atque alii ad vindicandam hospitalitatis gloriam cognato ruri suo quisque, hætenus recensuimus atque in dubium vocavimus. Quæ cetera fabulose & sine tessera hospitalitatis omni prope, narrari solent, mittimus. Quin, ne in levi momento operose seduli habeamur, ad illam quæ maxima se verosimilitudine probat, conjecturam transitum facimus. Vult autem illa non alio itinere ad Fennos pervenisse *Henricum*, quam quod priscam sedem commorationis eorum directe petit, adeoque acropolin ipsam quoque superstitionis barbaricæ olim spectavit. Placuisse cum regi, tum quoque episcopo illam imperii prudentiam, experientia certos nos esse jubet. non illa omnium temporum *militaris* solum, quæ docet nullos non duces exercituum ad illa se potissimum convertere solere hostium suorum loca, quibus plus virium ad resistendum esse putant; sed imprimis sacra & *ecclesiastica* ævi hujus pontificii; quæ quoties religionis zelum, eruentum in modum, explicare vellent monachi, eundem potissimum direxisse testatur adversus illa hostium loca, ubi ipsa præsiderent oracula eorum. Quemadmodum illud metropoleos Syethiæ & Gothiæ regni utriusque, puta *Upsalia* & *Sorsana* urbium exemplo evidens est. in quarum altera, cum nova religione permutanda vetus erat, *Frisonis* ( *Frotta Frigga* ) simulacrum opinatissimum

*Egino* Lundenſis præſul in fruſta concidit: altera zeli & exciſionis vim multo majorem paſſa fuiſſet, ſi de armatæ religionis juſtitia, nec non civili honeſtate, ſenſum, quem *ERICUS*, eundem admodum *STENKILLUS* habuiſſet.

§. XXI.

**A**BOÆ urbis antiquitates licet ad illa Poëtarum aurea ſecula, aliorum more nonnullorum, referre non ſuſtineamus: quin perſuaſiſſimi potius ſimus, *Venedorum* more veterum, de quibus *TACITUS*, diverſos & diſcretos, citra ædificiorum ſpeciem & delectationem, ubi fons, ubi campus atque nemora placerent, majores noſtros coluiſſe: multitudinem in illis fuiſſe collectam tamen, quæ ad tuendum rerum ſuarum ſtatum ſufficeret, & quæ legum conſenſu conjuncta fuerit, nulli dubitamus. Tenuiſſe vero in hac maritima ditione, imo urbe in ipſa, quæ ab indigenis *Turſu* dicitur & *forum commerciorum* ſonat, ſedem imperii *MEGIſTANES Fennorum*, certos nos eſſe jubet vetuſtum gentis chronicon. Fuiſſe in aulæ vicinia, recepto apud antiquos ritu (9), ſedem ipſam quoque idololatriæ, puta in parœciâ Maſtã

---

(9) *Conf. ac Gudhemenni monaſt. diſſert. p. 41. Ne vero paganica religionis morem iſtum, ceu execrabilem averſatos eſſe primos Fennorum epiſcopos chriſtianos, quis ſibi perſuadeat, conſilium idem cum ſuis ſacerdotibus prudenter iniviſſe omnino, perhibet diſſertat. de origine & religione Fennorum auctor, ubi in Nãndãmiſki non procul ab urbe potius, quam urbe in ipſa, inter profanos civis verſari maluiſſe obſervat. Licet de noſtra gente ulli neq; dubitemus, quin Svethis tributum ab ADAMO elogium, idem hæc quoque ſibi vindicare poſſit: prædicatoresque, ſi caſti fuerint & iaonei; præſertim vero epiſcopos conciliis populi*

stā, GREGORII papæ V. bulla testatur; lucos & delubra; quæ inibi paganorum ritibus pridem deputata fuissent, THOMÆ episcopo, sedenti tempore illo, tribuens. Ad illam utramque arcem religionis atque regionis uno ictu excindendam potius, quam in diversam regionis oram quæcumque deflexisse classem, quid quæso verosimilius judicari potest? Agnoscit non uno in loco chronicon modo laudatum gentis nostræ, quod cum Finlandiam ad religionem & sui imperii arbitrium cogere vellet Svethi, oram non aliam regionis, quam hanc ipsam navibus subierint, factoque prospere prælio, Aboense territorium primum subegerint. Quid vero? fretum ipsum suburbanum Erichstan, contracte Erstan, una cum villa Nuokalais (1) non procul ab ipsis faucibus sita sinus illius: promontoria duo, ERICH waldanpâ (2) & Cuningannemi (3), item prædiorum equestrium notissima nomina: Stora & Lilla Heiskilâ (4) ne quid de insula

Prest.

---

frequentioribus interesse permiserint, & ac christiana religione, ore illorum non inuiti audiverint.

(1) Nuoki lax sinum Svethi um audit: quemadmodum Erstan, Heristo Fennice. Ab ERICO XIV. vero, ejusque ad fratrem & arcem Aboensem expugnandam transitu aïci, tanto minus credibile, quanto ex tabulis publicis constat, illo tempore quoque, quo anno MCDLXXX STENO STURE prorex judicium regium (Ressfetting) in hac gente exerceret, nomine Erstan tum quoque insignitum fuisse sinum nostrum.

(2) Terminum vel initium imperii ERICIANI denotat.

(3) Promontorium regium audit.

(4) Quasi Heiskilâ contracte Heiskilâ, villam HENRICI significat: idque ad analogiam nominum in lingua Fennica ali-

Prestholm, in ipso maris transitu sita, dicam; qua parte regionis classis consistit: ubi termini sint quærendi in perii *ERICI*: quo profundiore circum insulam *Hirvifala* curvamine sinus, ad fluminis ostium rates penetraverint: ubi transitus *Svecorum*: religionis ministrorum, præcipue vero commorationis *HENRICI*, ejusque in hanc gentem legationis primordia quærenda sint, si quæ alia produnt & patefaciunt. Quid denique? utrum non *Sotalaidun* hodie *Sotalais* (v) prædium suburbanum cum subjectâ planitie *areopagus* idem ille, ubi instructus pariter atque montibus tectus rex explicuit copias suas, & demum *HENRICUS*, novus ex aquilone & mari gentium doctor, utinam *PAULI* magis quam *PETRI* ore gladii, nomen *DOMINI* majoribus nostris primum prædicavit?

§. XXI.

orum, quæ eadem forma efferuntur, ut *Antila*, *Mattila*, *Simola* &c. ut credamus *HENRICUM* heic loci consecasse primum, ejusque potius, quam alius alicujus commorationem inibi, occasionem dedisse nominis illius imponendi, nosmet inducit quodam modo imprecanæ formula *Fennis* hodiernum usitata: *Mene Heikelen*, ea, quæ idem valet atque *Cajanorum* & *Svecorum* illa dira: *Mene Htthehen*: *Gar til Odens*. Quis autem non videt, saltem pro probabili habet ab incolis etiamnum gentilibus, in invidiam & opprobrium aivi *Henrici* & Sanctissimi *NUMINIS* illius quoque, cujus is religionem annunciavit, deprecandi genus illud primum & ad nostra usque tempora, plebeo usu superstitioneque transmissum esse?

(v) *Sotalaidun* campum Martium lingua *Fennica* sonat, fluviique in mare introitui prope imminet, ubi triremes suas in anchoris, & sub signis exercitum *Moscovita* etiam paulo antea habuerunt.


**C**onstat insuper penes doctores ad conversionem gentilium delegatos, ritum illum itidem servatum fuisse, ut desinentibus in planum excelsis locis, ligneas cruces, suo in accessu, elevare soliti fuerint (ξ), ut ad easdem seu trophæa debellatæ impietatis confugerent, quæ diis relictis, *CHRISTO* ejusq; militiæ se non inviti dedere vellent. Sic cum Borniensibus sanctæ ecclesiæ communio primum offerretur, promontorio excelso illo, ubi *Rorsholm* castrum hodie conspicitur, istiusmodi ecclesiæ symbolum sublatum, paulo ante diximus. Ab hac urbe non procul remoto montis jugo, prope viam publicam, ejusmodi tesseram, sub nomine *Vispanrissi* episcopalis crucis, prostare notissima res est: quæ annon victoriæ religionis per *HENRICUM* episcopum, illo mediante signo, sive obtentæ sive obtinendæ jam olim dicata fuerit, quæ ab hoc studiosiorum genere me paratiores sunt, non difficulter judicabunt.

*Hac hætenus. Quæ ad plenam descriptionem vitæ & rerum gestarum SANCTI hujus desiderantur α Ζουρωβουζα, non minorum sumtuum, quam cura atque indaginis: ceptis aspirante DEO, & studium animi Musagetarum provehente faventiori aurâ, alio tempore subsequenter.*

---

(ξ) De crucis signi usu & abusu commentationem *DRNHIELMII* egregiam lege *hist. eccles. IV. 5. 148. seqq.* Quomodo gentilibus tantum non omnibus, præcipue vero majoribus nostris Scandinianis, inde ab *OTHINI* tempore (*Sneeki, Sticel*) signum fuerit, quo se homines peculiari ratione Numini consecrare ejusque tutelæ commendare voluerint, *KEISLERUM* & *CLEFFELIUM* in antiquitat: septentrionalibus confer. Inde etiam, quomodo papicolis parili superstitioni primum, mox gloria & dominationis trophæum: prisca vero christianis humilitatis, persecutionis & afflictionis symbolum fuerit, *QVENSTEDIUM* in antiquitatibus & ex illo *RHTZELIUM* in *dissert. de Sepultura Sveog. part. II. pag. 154. vide.*







DOMINO

MATTH. FONTENIO,

Philosophiæ Candidato clarissimo;

Civi meo & Amico optimo,

quum de

DIVO HENRICO

FENNORUM Apostolo, pro Laurea philosophica legitime capessenda lucubrationes limatissimas publici faceret juris.

**E**cce offers specimen, Magno sub Præside, pul-  
crum,

Ingenii doctâ pignora picta manu.

Rem facis acceptam, fateor, quam mente volutas?

Hec mihi crede, Viris, est placitura bonis.

Adplaudo cœptis, prosperrima comprecor ausis,

Et voveo decoret laurea, FONTENIUM!

*Hoc quidquid est epigrammatis, gracili licet vena,  
manu tamen & pectore promptus reliquit*

J. A. GÖTTFRID.

Corrigenda.

Pagina 3. lin. 4. lege: *dissertationis*. Pag. eadem lin. 21. deleatur *comma* inter vocabula: *omnibus omnibus*. P. 5. lin. 4. lege *prolegomenis*. Pag. 6. lin. 4. lege *cacoëthem*. Pag. 15. lin. 4. lege *comitiis*. Eadem paginâ, lin. antepenultima in notis lege *focis*. Pag. 16. lin. 8. lege *confirmant*. Pag. eadem lin. 17. lege *querule*. pag. 20. in notis, lin. 4. dele *comma* inter verba: *ecclesie primitiva*. Pag. 40. lin. 11. dele *tamen*. Pag. 41. lin. 19. lege *controverſa*. Pag. 45. in notâ (x) lin. 3. lege: *eodemque*. pag. 49. lin. 27. lege *nodus*.

Cetera, quæ leviora typographi incuriâ irrepſere, noſtræque diligentæ, quamlibet accuratiſſimæ ſeſe ſubdlexerunt, benevolus *Lector* facile emendabit; tanto magis, quanto ipſe *Argus*, ſi emandandis typothetarum mendis, oculos aliquando commodaverit, eandem humanitatem neque cuiquam denegaret.